Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

VII

II

VI

IV

III

V

I

Digitized by Google

Digitized by Google

PLANTAE VERTICILLATAE VNILABIATAE

DISSERTATIO BOTANICA

QVAM

ADIVVANTE SVMMO NVMINE

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CHRISTIANO FRIDERICO CAROLO ALEXANDRO

MARGGRAVIO BRANDENBVRGICO BORVSSIAE
SILESIAEQVE DVCE BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI
VTRIVSQVE PRINCIPATVS REL. REL

EX DECRETO GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRO LOCO IN EODEM OBTINENDO

DEFENDET

PRAESES

D. IO. CHRIST. DAN. SCHREBERVS
CONSIL. PRINC. AVL. MED. BOTAN. ET OECON. PROF. ORD

RESPONDENTE

IO. DAVIDE SCHOEPFFIO
WONSIDELIENSI. MED. CAND. INST. ELEG. LITT. SOD.

D. SEPTEMBR. CIↃIↃCCLXXIII

ERLANGAE
EX OFFICINA WALTHERIA

Digitized by Google

Digitized by Google

Quanto rei herbariæ emolumento fuerit virorum clariſſimorum induſtria, quam plantis in univerſum omnibus in claſſes, ordines, genera, ſpeciesque diſtribuendis, horum limitibus commode conſtituendis, characteribusque apte præciſeque enunciandis impenderunt; adeo in aprico eſt, ut vix indigeat commemoratione. Nihil tamen eorum meritis detrahere videbimur, ſi iſtud quoque ſtudium apprime utile dicimus, quod in ſingulares vegetabilium claſſes, familias aut genera eum in finem confertur, quo ſpecierum diagnoſis, primarius botanices ſcopus, certior reddatur atque evidentior, ſimulque, ſi fieri poſſit, expeditior. Hujus operæ utilitas maxime in iis ſentitur generibus, quæ plurimas ſpecies ſibi ſubjectas habent, et plerumque ita ſunt comparata, ut exercitatiſſimo etiam botanico negotium faceſſere poſſint. Magna itaque doctis hominibus habenda eſt gratia, qui horum aliquibus, uberiori ſpecierum explicatione, multum attulerunt auxilii. Quorum exemplum eo plures ad imitationem excitare debet, quo plura, de quibus hoc modo bene mereri queat, genera reſtant.

Cum de ſimili labore ſuſcipiendo ante plures annos cogitaſſem, præ aliis eo dignum videbatur *teucrium*, quod ſpecies comprehendit numeroſas, nec omnes ſatis definitas atque expeditas. Ab iſto *ajuga* ſegregari non potuit, cum ſumma illud attingat neceſſitudine, plantasque complectatur aliquas, a quibusdam ad teucrium relatas. Avide itaque arripui occaſionem, plurimas utriusque ſpecies curioſius examinandi, ab illuſt. IO. THEOPH. GLEDITSCHIO, botani-

Digitized by Google

ces apud Berolinenſes profeſſore celeberrimo, perhumaniter oblatam. Duobus luſtris poſtea elapſis, amicorum liberalitate multarum ſemina atque exempla ſicca, ad me pervenerunt, tum ſtirpium collectio, a IO. ERN. HEBENSTREITIO, medicorum Lipſienſium decano, dum viveret, optime merito, in itinere Africano facta; noviſſime etiam vir per quamcumque occaſionem erga me tam beneficus, quam qui maxime, excell. SCHMIDELIVS, botanicorum facile princeps, ditiſſimi ſui plantarum ſiccarum theſauri uſum benigne mihi conceſſit.

In his igitur generibus, earumque ſpeciebus conſtituendis naturam magiſtram ſequutus, ubi diverſæ de iis botanicorum fuerunt ſententiæ, eas, quæ naturæ maxime congruere viderentur, amplexus ſum. Præcipue ſpecies, quarum aliquas novas conſtitui, aliquas neglectas reſtitui, ut a varietatibus probe diſcernerem, et ad earum diagnoſin characteres, quantum fieri poſſet, evidentes adhiberem ſimulque conſtantes, nulli peperci curæ; quam ob rem in chamædry a florum, verticillos componentium, numero me abſtinui, colores vero, ubi conſtantiores viderentur, ubique in definitiones admiſi. Deſcriptiones ſpecierum varietatumque, quas pleniſſimas paraveram, contractas exhibeo, et ſynonymorum ſelectum, præterquam in ſpeciebus, ubi pauca tantum exſtabant; ex his, quæ ad alienas plantas relata deprehendi, ſuis reſtitui. Locorum natalium generalem tantum mentionem feci, ſpecialiorem enim anguſtia ſpatii intermittere coegit.

His jam abſolutis, operis tam mole quam ſplendore immenſi: *The vegetable ſyſtem*, quod perill. IO. HILLIVM, Acad. Reg. Anglicanæ Præſidem celeberrimum, auctorem habet, *volumen XVII* ad me pervenit; in quo una cum magna reliquarum verticillatarum parte ajugæ etiam teucriaque plurima depicta exſtant. En! eorum catalogum; cui ea qua in re littera-

Digitized by Google

ria publica par eſt, libertate et modeſtia, notulas quasdam adſpergere licebit.

Tab. igitur *II.* continetur *fig.* 1. *Bell Teucrine; Teucrium campanulatum.* Hæc ab iſta planta, quam nos cum perill. a LINNE' eo nomine appellavimus, et ſynonyma a nobis adducta indicant, adeo recedit, ut fere diverſam plantam deſignare videatur. Magnitudine noſtram multum excedit. Reptatus in caule ne veſtigium quidem obſervatur. Folia lobata: lobis integris profunde ſerratis. Flores magni. In Italia et inſulis Græciæ naſci, floresque habere cæruleos, in umbra albos, refert.

F. 2. *Oriental Teucrine. T. Orientale.* Nihil omnino cum planta habet commune, quam nomen indicat. Stirpem exhibet hac multo majorem; foliis magnis ſeptifidis: lobis trifurcis; floribus axillaribus ſolitariis, quam folia multo brevioribus, quos cæruleos eſſe in deſcriptione addit. In Græcia Aſiaque provenire narrat.

F. 3. *Botryne T. T. Botrys.* Folia pinnatifida, laciniis acutis. Flores ab iis quos vidimus, abhorrent.

Tab. III. Fig. 1. *Groundpine T. T. Chamæpitys.* Folia pleraque trifurca tantum, latiora quam in ullo exemplo nobis viſo. Flores etiam diverſi. Virium cauſſa olim in magna fuiſſe exiſtimatione, ſed experimenta famam non confirmaſſe, in notis monet.

F. 2. *Niſſolian T. T. niſſoliantum.*

F. 3. *Spurious T. T. pſeudochamæpitys.* Icon, ſi cuipiam, chamæpity ſimilis; folia, pro ratione ſtaturæ, juſto majora confertioraque; flores majores ſunt et obeſiores, quam in pſeudochamæpity umquam obſervavimus; hi pedunculis calyce ſuo brevioribus inſident. Annua in ſcholiis dicitur.

Digitized by Google

Tab. IV. Fig. 1. *Ivan T. T. Iva.* Habitus laxior, folia profundius diviſa, flores breviores et obeſiores, quam in exemplis a nobis viſis erant.

F. 2. *Moors T. T. Mauritanum.* Caulis, pro ratione magnitudinis craſſior; folia magis diviſa (ramentis quibusdam ad baſin inſtructa, etiam ſuperiora multifida); flores minores, totusque plantæ habitus alius quam plantæ cujus nomen fert; biennis, ſeſquipedem alta, floribus cæruleis eſſe dicitur.

F. 3. *Shrub T. T. fruticans.* Ad varietatem hujus ſpeciei pertinet, quam primo loco poſuimus.

Tab. V. Fig. 1. *Broad-leav'd T. T. latifolium.* Priori non multum diſſimilis. Flores ternatos terminales hujus iconis in ipſa planta nondum vidimus.

F. 2. *Cretan T. T. Creticum.* Cum ſpecie noſtra decima convenire videtur; ſed folia hic majora et latiora ſunt. Caulem cl. auctor dilute ſpadiceum deſcribit, vix pede altiorem, flores cæruleos; ex Aegypto ſe exempla habuiſſe refert, quæ vix ad hanc ſpeciem pertinere potuerint.

Tab. V. Fig. 1. *Willow T. T. ſalicifolium.* Quam cl. auctor plantam hic pinxerit, me non capere ingenue fateor. Eam nullo modo eſſe poſſe, quam nomen indicat, iconis habitus, foliorum anguſtia, florumque parvitas probant; etiamſi flores rubros eſſe non dixiſſet.

F. 2. *Siberian T. T. Sibiricum.* Sideritidem hirſutam L. potius refert, quam hoc teucrium, quicum ne minimum quidem convenit, ſicut neque

F. 3. *Many-flower'd T. T. multiflorum*, cum planta quidquam habet commune, cujus nomen gerit.

Digitized by Google

F. 4. *Maran T. T. Marum*, giganteam exhibet plantam, qualem numquam videre nobis contigit, foliis teucrii potius regii; ut de floribus nihil dicam.

Tab. VII. Fig. 1. *Aſiatic T. T. Aſiaticum.* Icon plantæ ignotæ potius quam iſtius, quæ perill. LINNEI beneficio eo nomine nuper innotuit.

F. 2. *Teucrine of Cuba. T. Cubenſe.* Icon teucrio cubenſi diſſimillima, foliis ad ageratum accedens, quod achilleæ ſpecies eſt.

F. 3. *Arduan T. T. Arduini.* Neque hujus prototypon novimus. Folia ſunt ſideritidis hyſſopifoliæ L., integerrima, infima quaterna. Biennem dicit herbam, *Suabiæ* incolam.

Tab. VIII. Fig. 1. *Canada T. T. Canadenſe.*

F. 2. *Virginian T. T. Virginicum.* Vtraque neque cum noſtris exemplis, neque botanicorum deſcriptionibus ſatis convenit.

F. 3. *Hircanian T. T. Hircanicum.* Huic foliorum crenæ magnæ, paucæ. Spicæ in apice geminæ, ramoſæ, laxæ. Vtinam perill. auctor iconem vidiſſet, quæ in commentariis ſocietatis litterarum Gœttingenſis exſtat! Vnde nam autem, amabo, habet, hoc teucrium Germaniæ indigenam, hic in dumetis æque frequens eſſe ac ſcorodonia in Anglia eſt?

Tab. VIIII. F. 1. *Wood Sage T. T. Scorodonia.* Foliis pene integerrimis; floribus ſolitariis, in quibus figuræ deſideres ἀκριβειαν.

F. 2. *French T. T. Maſſilienſe.* A priori vix diverſa, planta ſua longe major eique diſſimillima. E Pyrenæis allatam eſſe additur.

Digitized by Google

F. 3. *Scordian T.* *T. Scordium.* De icone plantæ notiſſimæ penes ſpectatorem eſto judicium; qui folia integerrima in ſuis exemplis forte non viderit. In inſula Ely copioſe provenire, et ab equis conculcatum odorem fortem alliatum ſpargere, cl. auctor narrat. Iunio ibidem colligendum eſſe monet, ante quam floreat; tunc Græcorum antiquorum laudibus ex aſſe reſponſurum.

Tab. X. F. 1. *Germander T.* *T. chamædrys.* Neque hanc morabimur, quæ chamædryn minorem repentem C. B. repræſentare videtur. In Anglia ſpontaneam eſſe cum RAIO dubitat cl. HILLIVS. Saporem et odorem magnas promittere vires agnoſcit; in podagra aliisque morbis magni olim fuiſſe æſtimatam; ſed chemiam multa egregia medicamenta proſcripſiſſe.

F. 2. *Shining T.* *T. lucidum.* Chamædryn potius alpinam hirſutam repentem exprimit; caulis enim piloſus eſt.

F. 3. *Yellow T.* *T. flavum.* Coloris in hujus flore miram eſſe inconſtantiam; plerumque aureum, aurantium quoque, album rubrumque obſervari.

Tab. XI. Fig. 1. *Mountain T.* *T. montanum;* et

F. 2. *Leaning T.* *T. ſupinum;* nihil differunt.

F. 3. *Pyrenæan T.* *T. Pyrenaicum.* Hujus folia, una cum caule depilia, baſi crenata; ſuperiora minora lanceolata obiter crenata; floresque adeo paucos parvosque obſervare non memini. Florum colorem album eſſe monet, aut roſeum, nec, cum purpureos dicat, BOCCONEVM errare.

Tab. XII. Fig. 1. *Polian T.* *T. Polium.* Ad Monſpeliaci aut longifolii habitum proxime accedit; aureum tamen repræſentari conjicimus, cum flores luteos cl. auctor dicat; quem tamen ſi audiamus, habitus, firmitas, ſtatura, florum

Digitized by Google

florumque color ex ochroleuco in rubrum, albumve, ſitus ab erecto in decumbentem ita variat, ut merito polia omnia in unam ſpeciem cogantur.

F. 2. *Headed T. T. capitatum.* Aureum potius refert; forſitan hujus et præcedentis iconis numeri transpoſiti ſunt. Flores deſcribit albos, nonnumquam cæruleſcentes.

Tab. XIII. F. 1. *Low T. T. pumilum.* Non quidem hoc, ſed nobis ignotum exhibet, cujus flores dicuntur coccinei.

F. 2. *Thorny T. T. ſpinoſum.*

F. 3. *Pointed T. T. mucronatum.* Multum omnino ſimilitudinis utraque habet, ſicut neque utraque ſpecies differt; ſed undenam huic internodium ſummum longiſſimum? unde flores ſpicati? unde iſti, præ hac, hirſuta natura?

Tab. XIII. Specious T. T. ſpecioſum. De hac dixi p. LIIII.

Tab. XV. F. I. Oriental Bugle. Ajuga Orientalis.

F. 2. *Pyramidal B. A. pyramidalis.*

T. XVI. Fig. 1. *Alpine B. A. alpina.* Illa ad tertiæ noſtræ alteram, hæc ad tertiam varietatem referenda videtur; ſed utrique bracteolæ ſub floribus, natura repugnante, acceſſerunt.

F. 2. *Geneva B. A. Genevenſis.* Non bugula genevenſis auctorum, ſed ignota ſpecies, foliis ſalignis obtuſis, floribus ſolitariis, pedunculis mediocribus inſidentibus. Flores deſcribuntur roſei.

F. 3. *Creeping B. A. reptans.* Raro hanc plantam habitu adeo ſtricto, ſtolonibus ita conformatis reperias; unde autem iterum bracteolæ ſub floribus? — Hæc de iconibus Hillianis.

)( )(

Digitized by Google

In exordio libelli potiora momenta ad notitiæ cum ſpecierum tum generum hiſtoriam ſpectantia, attigi. Quænam, et qua veri certive ſpecie in antiquorum monumentis reperiantur, oſtendi; unde, ni fallor, colligitur, etſi tempus quo quæque detecta fuerit, accurate determinari nequeat, vix aliquam ante HIPPOCRATIS tempora innotuiſſe. Polii quidem nomen in catalogo plantarum Hippocraticarum apud CLERICVM legitur; vid. *Hiſt. de la Méd. p.* 218; in toto autem HIPPOCRATE non exſtat, niſi in *lib. de morbis muliebribus c.* 75. *p.* 775. *Vol. VII. edit. Charter.* et in *lib. de ulceribus c.* 6. *p.* 34. *Vol. XII. ejusd.* quorum neuter ad ipſum auctorem referri poteſt.

Cum variæ utriusque generis ſpecies in pharmacopoliis civitatem ſint conſequutæ, has, et quæ de earum viribus ac in variis morbis uſu cognovimus aut prodita reperimus, tum quæ ad utilitatem harum plantarum œconomicam ſpectant, ſub finem tractationis recenſuimus. Quæ cuncta benigno Lectorum judicio etiam atque etiam commendamus, a quibus eorum, quæ in hoc opuſculo ad umbilicum nondum perducere potuimus, benevolam excuſationem ſperamus atque efflagitamus.

Digitized by Google

§. I.

Hiſtoria ſtirpium unilabiatarum. Quænam veteribus notæ fuerint.

Antequam ipſas ſtirpes flore monopetalo unilabiato pertractare aggredior, ab inſtituto non erit alienum, quænam antiquitus cognitæ fuerint, quo unaquæque tempore recentioribus innotuerit, et qua ratione tandem in varia generà a botanicis fuerint collectæ, paucis commemorare.

Quod ad primum attinet, veteres, Græcos præcipue, tum etiam Romanos, qui rem herbariam vel de induſtria tractarunt, vel attigerunt, paucarum, quantum ex ipſorum monumentis apparet, plantarum, nec fere aliarum, quam quibus vel utilitas præcipua ad victum, cultum, medicinam ſuperſtitionemve, vel formæ dignitas aut venuſtas, vel mirabile quoddam eſſet ingenium, curam habuerunt. Harum notitia ipſis erat mere empirica, a medicis, rhizotomis, ſeplaſiariis, olitoribus aliisque magiſtris, autopſia uſuque addiſcenda, poſterisque per manus velut tradenda. Libris proprietates tantum et virtutes plantarum comprehendebantur, ſignis quibus cognoſcerentur aut diſcernerentur, neglectis, aut obiter tantum adnotatis; quin immo earum formæ literis tradi nec poſſe credebantur, nec ſi poſſent, debere, quo in errore ipſum GALENVM verſatum fuiſſe, ex præfatione libro VI. de *medicamentor. facult.* præfixa, apparet. Iſta rem herbariam tractandi ratio confuſionem nominum, hæc rerum neglectum peperit, qui eo proceſſit, ut tritiſſimarum apud veteres quædam ignorentur. Non tamen omnes ideo in oblivionem veniſſe exiſtimandæ ſunt. Aliquas enim

Digitized by Google

ex descriptione cognoscere licet. Multarum notitiam icones, in quibusdam codicibus DIOSCORIDIS manuscriptis supersttites, præsertim in duobus istis antiquis bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, de quibus perill. HALLERI *bibl. botan. tom. I. p.* 85. *et tom. II. p.* 777. *sq.* legi meretur, suppeditare possunt. Plusculæ traditione a majoribus acceptæ hodiernis etiamnum Græcis, (ut cum DIOSCORIDE loquar) sunt γνώριμοι, testibus BELLONIO, SPONIO, TOVRNEFORTIO; conf. HALL. *l. c. p.* 28. 620. Quin etiam eodem modo varias, præcipue quibus ad medicamenta celebriora, maxime theriacas, aliaque antidota usitatiora componenda frequentius utebantur, una cum horum compositionibus ad nos perveniſſe, singularis cura probare videtur, quam GALENO teste in colligendis, servandis et transmittendis hujus generis simplicibus adhibere solebant. Facile igitur me adduci passus sum, ut cum hominibus plantarum peritis consentirem, qui inter herbas ab antiquis commemoratas aliquas se reperiſſe contendunt, in ordine stirpium verticillatarum unilabiato quærendas; an recte, penes quemcumque harum rerum gnarum arbitrium esto. Qua de re quo facilius statui queat, e veterum monumentis quidquid ad earum cognitionem facere potest, adferam, tum nuperorum plantas, quæ singulis respondere videntur, dicam.

I. ΠΟΛΙΟΝ THEOPHR. *hist. pl. l. I. c.* 16. *l. VII. c.* 10. NICAND. *ther. v.* 64. 304. DIOSC. *mat. med. l. III. c.* 124. ORIBAS. *coll. med. l. XII. p.* 473. herba foliis in rotunditatem crassatis, veluti carnosis, sempervirens, graveolens, THEOPH. tetrum odorem spirans NICANDRO, nisi cum SARRACENO *ad Diosc. p.* 70. ῥιγιστον in ἥδιστον, suavissimum, mutare malimus; nam THEOPHRASTO teste vestimentis ad tineas arcendas interponebatur, neque igitur fœtidissimum esse potuit. Folium habere thymo mollius et hirsutius, surculos plures virgatos e radice egredientes, radicem lignosam SCHOLIASTES NICANDRI ad v. 64. tradit. DIOSCORIDES duo polii genera

Digitized by Google

recenſet, quorum *alterum* montanum (PLINIO *l. XXI. c.* 7. ſilveſtre) τευθριον etiam vocatum, ſuffruticem dicit tenuem, (ORIBASIVS, qui hæc omnia excerpſit, tenuifolium) candidum, dodrantalem, (palmo non altiorem PLIN.) fructu plenum, cui in ſummitate capitulum ſit, corymboſum, parvum, cæſariei canæ ſimile; ceterum graveolentem cum aliqua odoris ſuavitate; ejusque ad medicinas multum eſſe uſum. *Alterum* fruticoſius, minus odorum, foliis, quod in codice quodam additur, anguſtis. Aliud eſſe πόλιον, idem cum τριπολίῳ, apud HESIODVM et MVSAEVM occurrente, a veteribus, PLINIO, ipſoque THEOPHRASTO *hiſt. pl. l. IX. c.* 21. ſæpenumero cum πολίῳ ſuperiori confuſum, illud ἀπὸ τοῦ πολεῖν, a verſando, cum floris colorem ſæpius in die mutet, hoc vero a πολιὸς, canus, dictum, ideoque πολιὸν potius ſcribendum, SALMASIVS monet *exerc. Plin. p.* 751. (ed. Traj.) quod etiam a veterum quibusdam factum fuiſſe *Scholiaſtes Nicandri l. c.* teſtis eſt. Prioris deſcriptio polio montano albo C. B. aut hyſſopo apulo COLVMN. melius reſpondet, quam aliis Græciæ plantis. Atque iſtud quidem etiamnum ad parandam theriacam Andromachi inde in officinas mittitur; huic, quod in Græcia etiam naſci non dubitandum eſt, cum in pharmacopoliis Cretico nonnumquam admiſtum reperiatur, figura in perantiquo DIOSCORIDIS codice minoris formæ, qui bibliothecam aug. Imperatoris ornat, non refragatur, ſi momenta quædam excipias, pictori rei herbariæ ignaro leviora viſa; qualia ſunt verus foliorum ſitus neglectus, crenæ omiſſæ, et, quæ in aliis quoque iconibus laudati codicis deſideratur, figura floris plane non expreſſa. Poſterius e reliquis polii ſpeciebus ob characterum defectum ægre eruitur. FABIVS COLVMNA polium veterum pro chamæcypariſſo TRAGI haberi vult, in *Ecphraſi minus cogn. ſtirp. tom.* I. *c.* 13. *p.* 47. ſed huic non conveniunt ſtatura dodrantalis et capitulum corymboïdes polii, neque conſtat, chamæcypariſſum in Græcia reliquoque oriente provenire.

Digitized by Google

II. ΧΑΜΑΙΔΡΥΣ THEOPHR. *h. pl. l. IX. c.* 10. DIOSC. *m. m. l. III. c.* 112. ORIBAS. *m. c. l. XII. p.* 500. SCRIBON. LARG. *compos. med. c.* 107. aliis χαμαιδρυών, quibusdam τεύκριον DIOSC. PLIN. *h. n. l. XXIV. c.* 15. et λινόδρυς DIOSC. Romanis TRISSAGO ſ. trixago PLIN. Serratam etiam vocari et ab ea ſerram inventam PLINIVS addit. Fruticulus DIOSCORIDI eſt ſpithamæus, foliis parvis (magnitudine menthæ PLIN.) figura et inciſuris δρυὸς, i. e. quercino generi ſimilibus, amaris, flore ſubpurpureo, odore ſuavi THEOPHR. in aſperis petroſisque locis proveniens DIOSC. Hæc omnia, et præterea etiam icon codicis Dioſcoridei ſupra laudati, chamædryi, nobis ſic dictæ, inprimis majori repenti C. B. in Græcia utraque Europæa et Aſiatica, obvia, ſatis conveniunt. Sed comparatio foliorum cum quernis non tam de robore noſtro, Græciæ minus familiari, quam aliis quercubus in oriente frequentius obviis, intelligenda eſt.

III. ΤΕΥΚΡΙΟΝ DIOSC. *m. m. III. c.* 111. ab inventore Teucro, Troadis rege, dictum PLIN. *h. n. l. XXV. c.* 5. τεύκριον ORIBAS. *p.* 491. et in quibusdam DIOSCORIDIS codicibus. Herba virgoſa (ſurculoſa ramis hyſſopi PLIN.) chamædryi ſimilis, tenuifolia, foliis ἐρεβίνθου i. e. ciceri arietino DOD. et LINN. (fabæ PLIN.) ſimilis, in Cilicia juxta Gentiadem et Ciſſadem DIOSC. item in Piſidiæ montibus PLIN. copioſe naſcens. A quibusdam chamædryn vocari, alii codd. addunt, alii omittunt, neque ORIBASIVS in ſuo legit. Florentem colligi debere PLINIVS refert, etſi paullo ante, ubi aliorum ſententiam ſequutus cum hemionio et aſpleno confudit, umquam florere negavit; juncos tenues, folia parva, auſterumque ſaporem ipſi tribuens. Plerumque teucrium C. B. eſſe creditur, neque id repugnat deſcriptionibus. Eorum, qui inter veronicas teucrium veterum quærunt, argumenta magis vacillare videntur; nihiloſecius officinarum germanicarum teucria, nuper demum introducta, nihil aliud quam veronicæ ſunt.

Digitized by Google

Icon in codice DIOSCORIDIS ſæpius dicto, ad cognitionem plantæ parum confert. Folia quidem teucrio C. B. non diſſimilia ſunt, licet alterna; ſed flores in ſummitate denſe capitati, in alis ſolitarii, mentham potius aliquam referre videntur.

IV. ΣΚΟΡΔΙΟΝ SCRIB. LARG. *p.* 169. 170. 177. DIOSC. *l. III. c.* 108. ORIB. *p.* 483. PLIN. *l. XXV. c.* 6. Romanis TRIXAGO PALVSTRIS PLIN. Folia habet chamædryi ſimilia, ſed majora, et margine non eodem modo inciſa, (quidam codd. addunt: angulis rotundis inſtructa) allium quodammodo redolentia, ſtyptica et ſubamara guſtu; cauliculos ſpithamæos et majores, tetragonos, a quibus flos ſubruber egreditur. Hæc DIOSCORIDES, qui in montanis et paluſtribus locis naſci, Creticum tamen, quod iam in Damocratis compoſitionibus apud GALENVM occurrit, Ponticumque efficaciſſimum eſſe addit. PLINIVS duplex deſcribit. Alterum, ex LENAEO, magnitudine cubitali, quadrangulari caule, ramoſum querculæ ſimilitudine, foliis lanuginoſis, guſtu amaro, in Ponti campis pinguibus naſcens; alterum latioribus foliis, menthaſtro ſimile. Illud cum Dioſcorideo convenire, ſcordiumque lanuginoſum C. B. eſſe facile intelligitur, quod etiam figura ſcordii in codice DIOSCORIDIS Cæſareo ſupra laudato, potius, quam ſcordium noſtras, refert. Hoc niſi ad nepetam ſcordotin LINN. *ſp. pl. p.* 798. referri poſſit, ignotum videtur.

V. ΧΑΜΑΙΠΙΤΤΣ NICAND. *ther. v.* 55. DIOSC. *l. III. c.* 175. ORIBAS. *p.* 500. CELS. *l. V. c.* 4. PLIN. *l. XXIV. c.* 6. *χαμηλὴ πίτυς* NICAND. *alex. v.* 882. *πίλυξη* THEOPHR. *l. VII. c.* 8. ſi ita legendum; *ὁλόκυξλος* Ponti incolis, *ἰωνία* Athenienſibus, quod etiam violæ erat ſynonymon; *σιδηξῖτις* Euboicis DIOSC. forte ex APOLLODORO de *beſt. ven.* apud ATHENAEVM *l. XV. c.* 8. *p.* 681. *ed. Caſaub.* Romanis ABIGA PLIN.

Digitized by Google

(ſeu, ut in vett. codd. et editione Veneta an. 1468 legitur, AIVGA,) unde poſtea nomina ibiga, demum iva, apud APVLEIVM *de virib. herb. c.* 27. nata ſunt. Herba DIOSCORIDI eſt humi ſerpens, ſubincurva (incurvæ ſimilis PLIN.) foliis ἀειζώῳ μικρῷ ſimilibus, ſed tenuioribus, pinguioribus hirſutisque, circa ramulos ſpiſſis, odore pini; floribus tenuibus, melinis, radice velut cichorii. Eandem GALENVS *de antidot. l. I. p.* 889. *Vol. XIII. ed. Charter.* ubique terrarum creſcere, Cretica odore et ſapore fortiorem; illos, qui Cæſari theriacam conficiunt, ſemper hac uti, etſi Romæ, in ſuburbiis tam chamæpityn quam chamædryn repererit, iis ipſis quæ e Creta adferuntur, odoratiores, modo non multo imbre fuerint humectatæ. Huic DIOSCORIDES c. 176. duas alias addit; *alteram*, (quæ prima PLINIO, ut prior ſecunda) ramis cubitalibus, anchoræ ſimilibus, gracilibus, coma prioris, flore candido, ſemine nigro; *tertiam*, quæ ἄρρην vocatur, foliolis tenuibus, albis, hirſutis, caule ſcabro, albo, floſculis melinis, ſeminulo in alis, pinum etiam redolentem. Præterea hypericum, propter ſeminum odorem reſinoſum, a quibusdam chamæpityn appellari refert. Sideritin autem, æque ac ion ſ. violam, ſæpe cum chamæpity confuſas fuiſſe, ex dictis patet. Difficile igitur eſt, de ſingulis chamæpityos ſpeciebus certi quid ſtatuere. *Primam* pro iva moſchata Monſpelienſium habent RVELLIVS *de nat. ſtirp. l. III. c.* 75. *p.* 765. CORDVS *in Dioſc. p.* 61. et BAVHINVS *pin. p.* 249, cui et Dioſcoridis deſcriptio, et quæ e GALENO attulimus, melius quam alii cognatarum conveniunt. Aliam chamæpityos primæ iconem exhibuit FVCHSIVS *ic.* 507. *ad c.* 341. *ed. Baſ.* 1543. ſed tam male delineatam, ut pro fictitia facile haberetur, niſi ea cum iconibus tertiæ apud MATTHIOLVM collata, hisque porro cum figura tertiæ apud DODONAEVM *pempt. p.* 46., in iconibus Lobelianis ad primam iterum relatæ, comparatis, concludi poſſet, creſſam LINN. pingi. Sed hanc inter chamæpityes veterum quærendam eſſe, probari vix poterit. Alii, ut DODONAEVS, CORDVS, DA-

Digitized by Google

LECHAMPIVS, præeunte MATTHIOLO *comm. in Dioſc. p.* 940. chamæpityn primam DIOSC. pro illa officinarum noſtratium habent; quibus obſtat, radicem in hac, utpote ſtirpe annua, parvam eſſe, non cichoraceam. Nihil ad hanc litem dirimendam facit icon codicis Dioſcoridei cæſarei, quæ ad hujus auctoris deſcriptionem efficta videri poſſit. *Alteram* nobis ignotiſſimam, ad botryn verticillatam I. B., neque in Græcia indigenam, neque cubitalem, neque λευκάνθη, DODONAEVS fruſtra referre conatur. LOBELIVS et DALECHAMPIVS ſtirpem hodie incognitam pro iſta deſcribunt, cui C. B. ſedi minoris fruteſcentis alterius nomen fecit *pin. p.* 184. *Tertia* forte chia magno flore TOVRN. eſſe poſſet, cui, procul dubio etiam in Ionia, Chio inſulæ finitima, indigenæ nomen ioniæ bene conveniret; a TRAGO autem, FVCHSIO aliisque ad vulgarem chamæpityn refertur, ſicut a MATTHIOLO ejusque aſſeclis ad creſſam.

Chamæpityi ſimilis a DIOSCORIDE *l. III. c.* 153. ἀνθυλλὶς altera in ſaxoſis naſcens, foliis ramulisque, hirſutior tamen eſſe dicitur, brevior et aſperior, flore purpureo vehementer graveolente, radice cichoracea; quam ob rem a LOBELIO aliisque ad ivæ moſchatæ varietatem floribus rubellis refertur. Hoc in medio relinquimus; non tamen iſta vulgatiori iva moſchata brevior et aſperior eſt, neque flores gravem odorem ſpargere obſervati ſunt.

Alii alias præterea veterum plantas inter unilabiatas noſtras ſe reperiſſe ſibi perſuaſerunt. Sic μάραον veterum ad marum Cortuſi MATTHIOLVS; ἱερὰν βοτάνην ad conſolidam mediam RYFFIVS *in Dioſc. p.* 314. referunt. Cum vero harum ſtirpium notæ a veteribus traditæ, hiſce parum conveniant, ipſorum opiniones nihil moramur.

Plantarum ſuperius recenſitarum nomina in medicorum veterum, Celſi, Scribonii, Aretæi, Caſſiani, Aetii, Alexan-

Digitized by Google

dri, Paulli libris, et in Heræ, Damocratis, Andromachorum aliorumque compositionibus medicamentorum apud GALENVM sæpius repetuntur. Nihil tamen inde discas, quod ad uberiorem certioremque earum cognitionem vel minimum conferat. Neque Arabibus quidquam debetur, nisi novæ difficultates; v. c. quando AVICENNA polium ad absinthium refert; quando scordium dicit esse allium agreste, foliis cauleque longis, et ex eo florem album emicare. *Can. l. II. p.* 213. *ed. Plemp.* Multo minus ab iis aliquid proficisci potuit, qui ævo barbaro sua quantulacumque ab Arabibus mutuati sunt; omiserunt potius, quæ minoris ad medicinam momenti ipsis viderentur. Auctor herbarii germanici (*berbarius germanice, Mogunt.* 1485.) tantum recenset *camedreos, camedren* c. 137. et *scordeon, wild Knoblauch* c. 358. IO. CVBA in horto sanitatis (*ortus sanitatis, Mogunt.* 1491.) præter camedreos c. 90. *camepitheos* c. 91. *polio* c. 373. additis iconibus fictis absurdis. Et isti herbariorum sui temporis erant principes!

§. II.

Quænam a recentioribus botanicis fuerint detecta.

Pleniorem ut omnium stirpium, ita et unilabiatarum, notitiam instaurationi rei herbariæ, seculisque proximis ad nostra usque tempora, referimus acceptam. Eæ, de quibus veteres mentionem feciſſe credibile est, Conr. Gesneri, Fuchsii, Ruellii, Matthioli aliorumque studio erutæ, seu potius denuo detectæ sunt. Reliquis, quarum vestigia apud veteres nulla reperiuntur, conquirendis, nominandis, describendis pingendisque summi operam dederunt viri, inter quos, si vel numerum, vel raritatem specierum detectarum consideres, Clusius, Barrelierius Tournefortiusque eminent. Nimium longus essem, si, quid hac ætate isti aliique viri clarissimi ad hanc plantarum familiam declarandam contulerint, sigillatim commemorarem. Non

Digitized by Google

Non tamen ſuperſedere poſſum, ſingularum ſpecierum inventores velut in tabula, una cum numeris ſpecierum, quas quisque invenerit, ex §. III. et IIII. excerptis, annisque, quibus in publicum primum prolatæ ſunt, recenſere.

1531. OTHO BRVNFELSIVS 3 γ.
1536. IO. RVELLIVS 35.
1536. VAL. CORDVS 57.
1540. THEOD. DORSTENIVS 20.
- - IO. ANT. CORTVSVS 28.
1542. LEONH. FVCHSIVS 23.
1551. GVIL. TVRNERVS 43.
1552. HIER. TRAGVS 2.
1563. CONR. GESNERVS 15.
1570. MATTH. LOBELIVS 45. 49.
1576. C. CLVSIVS 9.
1594. ID. 23 β.
1594. C. BAVHINVS 32.
1595. IO. PONA 10.
1606. FAB. COLVMNA 46.
1614. PROSP. ALPINVS 11.
- - IOACH. BVRSERVS 40.
1633. GV. DE LA BROSSE 22.
- - IAC. BARRELIERVS 41. 42. 44. 48. 51. ad 56.
1651. IO. BAVHINVS 3 β.
- - LE. PLVKENETIVS 3 α. 38.
1661. ROB. MORISONVS 25.
1669. SARRACENVS 39.
1694. I. P. A TOVRNEFORT 4 β. 14. 26. 27. 33. 34.
1696. FRANC. CVPANIVS 19.
1703. I. P. A TOVRNEFORT 1. 5. 8. 17. 18.
- - IVL. PONTEDERA 37.
1738. PET. SHAWIVS 16.
- - I. E. HEBENSTREIT 7. 24.
- - I. GE. GMELINVS 12.
- - ALEX. GVIL. MARTINIVS 36.
1760. N. I. IACQVINVS 13.
1767. C. A LINNE' 31.

Digitized by Google

§. III.

Genera a botanicis varie inſtituta.

Supereſt ut paucis indicemus, qua ratione ex hiſce ſpeciebus genera conſtructa fuerint, et quænam illorum fuerint viciſſitudines. Primus aliquid tale molitus eſt IO. BAVHINVS, qui in *hiſt. plant. tom.* 3. *p.* 287. 430. genera chamædryos genuinæ, teucrii, ſcordii, chamæpityos, botryos, polii et conſolidæ mediæ, fere ad mentem veterum, conſtituit. Eadem adoptavit Ioannis frater CASPARVS, in *pinace theat. bot. p.* 220. 247-249. 260; uterque tamen peregrinas herbas admiſcuit. MORISONVS in *hiſt. pl. tom.* 3. *p.* 354. 390. 420. ex ſeptem iſtis generibus quatuor fecit, polii, chamædryos, chamæpityos et bugulæ, quæ conſolida media I. et C. B. eſt, quibus marum Cortuſi addidit. Horum omnium notam communem, galeæ defectum in corolla, bene perſpexit, eaque a peregrinis plantis repurgare ſtuduit; notas autem diagnoſticas maxime lubricas tradidit, vix dignas quæ repetantur. RAIVS in *hiſt. pl. t.* 1. *p.* 500. 530. *meth. emend. p.* 62. 68. Bauhinorum genera, excepta botry, reſtituit, addjtis maro ſyriaco, et ſcorodonia. In omnibus flores unilabiatos, galea carentes, agnoſcit; polio tamen per errorem magis quam conſulto, galeam tribuit. Differentias ſuorum generum ſtatuit inutiles, Moriſonianis nihilo præſtantiores. RIVINVS in *explicatione pl. monop. p.* 7. teucrium et chamædryn genere differre negavit, ſeparavit autem chamæpityn, ivam et ajugam ſuam ſicut et polium, quod in iconibus poſthumis demum acceſſit; mari nomen in pſeudomarum mutavit, in poſthumis exemplaribus reſtituit. Omnia iſta genera conjunxit in familiam, cui nomen *plantarum verticillatarum flore barbato tantum* dedit; ſed excepta bugula, cui galeam exiguam tribuit. HERMANNVS a Bauhinorum generibus non receſſit, niſi in eo, quod botryn chamædryoiden C. B. cum chamædry conjunxerit. In omnibus hiſce generibus multa pro arbitrio inſtituta eſſe, TOVRNE-

Digitized by Google

FORTIVS, pro ſumma, quæ in eo erat ſagacitate, intellexit Chamædryn, ſcordium, marum, teucrium atque polium ad commune genus pertinere diſerte dixit, cujus notæ ſint flos poſtice in fiſtulam tenuatus, anterius dilatatus in labium deorſum flexum, in quinque partes diviſum; ſtaminibus labii ſuperioris locum occupantibus. *Iſag. in rem herb. p.* 60. Quoniam vero nimium pateret, pluresque ſpecies contineret, quam quæ aptis brevibusque nominibus diſtingui poſſe viderentur; tria potius genera, ſecundi ordinis ipſi dicta, ex eo fecit: chamædryn, floribus ſparſis in foliorum alis; polium, floribus in capitulum collectis, teucrium, floribus ſparſis, calycibus campanulatis. His ſubjunxit genera chamæpityos et bugulæ, pariter ſecundaria, quæ flore in tres partes tantum diviſo convenire, probe perſpexit, ideo tamen, quod eadem ratione, quam iſta, differant, illud nimirum floribus ſparſis in foliorum alis, hoc floribus verticillatim diſpoſitis, ſeparare ſatius duxit. In eamdem ſententiam diſceſſerunt botanici, qui auctoritatem ſummi viri ſequuti ſunt; ut VAILLANTIVS, MICHELIVS, PONTEDERA, SEGVIERVS, alii. VAILLANTIVS tamen, teſte cl. GVETTARDO *Mém. de l'acad. de Paris* 1748. *p.* 447. chamædryn ſpinoſam C. B. a reliquis chamædryſi ſeparare, ſcorodonoidemque vocare maluit. Magnus BOERHAVIVS, Hermanni generibus uſus, in eorum characteribus recenſendis majorem anteceſſoribus poſuit operam. Vid. EIVS. *index horti lugd. major p.* 181 *ſeq.* Eorum nomina in *ſyſtemate* ſuo *plantarum* repetiit HEISTERVS *p.* 8., addita iva, id eſt, botry verticillata C. B. quam DILLENIVS, Rivinum ſequutus, inſtituerat; vid. HVIVS *nova pl. gen. p.* 102. *tab.* 3.

Immortalis LINNEVS, cum univerſæ rei herbariæ emendationem ſuſciperet, neque hanc familiam neglexit. In prima methodi ſuæ ſciagraphia, primæ *ſyſtematis naturæ* editioni an. 1735. inſerta, ex quinque ſupra recenſitis generibus Tournefortianis, hæc quatuor fecit: bulgæ, quæ bugula T.; polii;

Digitized by Google

teucrii; et triſſaginis, quæ chamæpitys T. eſt. In *horto cliffortiano* fol. 303. omnes plantas verticillatas unilabiatas in unum genus, teucrium dictum, contraxit; quod Ill. ADRIANVS *van* ROYEN in *prodromo floræ lugd. p.* 305. et nuper Ill. CRANZIVS in *ſtirp. auſtr. faſc. III. p.* 249. imitati ſunt. In libro: *genera plantarum*, 1737. primum edito et deinceps ſæpius typis repetito, ut et in altero, quod *ſpecies plantarum* inſcribitur, atque in *ſyſtematis naturæ* editione noviſſima, duplici illas genere complexus eſt, quorum alterum teucrium, alterum ajuga ipſi dicitur. Diſcrimen a labii ſuperioris abſentia vel exiguitate petiit. Huic ſententiæ cum plerique ſummi viri ſectatores adhæſerint, ſingulos nominatim recenſere ſuperſedeo. Ill. LVDWIGIVS in *inſt. r. vegetab. p.* 118. eadem genera amplexus eſt, ſed differentiam ajugæ in labio inferiori obcordato, teucrii in labio inferiori ſubrotundo poſuit. Ill. GLEDITSCHIVS ajugam denticulis labii ſuperioris contiguis, teucrium a ſe invicem ſeparatis inter ſe diſcrepare, in *ſyſt. pl. p.* 183. monet. Perill. HALLERVS genera Tournefortii primaria, quarum ſupra mentionem fecimus, reſtituit, alterum bugulæ, alterum chamædryos nomine. Vid. EIVS *enum. pl. Helv. p.* 630. *hort. Gotting. p.* 314. *hiſt. pl. Helv.* I. *p.* 123. *ſq.* qua in re ipſi ſuffragati ſunt viri cl. ZINNIVS, BOEHMERVS, et nuperrime ADANSONVS; niſi quod hic ſcorodoniæ genus a reliquis ſeparavit, et trichoſtema LINN. cum teucrio conjunxit. Cl. GVETTARDO, qui plantarum genera ad normam glandularum, pilorum aliarumque minutiſſimarum partium dijudicare conatus eſt atque reformare, polium TOVRN. in duo dividi, chamæpityn reſtitui, eique et chamædryn et teucrium foliis laciniatis adſociari, ſcorodonoides VAILL. introduci, teucrium, chamædryn et bugulam TOVRN. retineri poſſe viſum eſt. Conf. *Mém. de l'acad. roy. des ſciences de Paris* 1748. *p.* 447. *ſqq.*

Digitized by Google

§. IIII.

Plantarum verticillatarum unilabiatarum notio conſtituitur. Verticillatæ in genere definiuntur.

Hæc de origine atque incrementis cognitionis plantarum, quas commentario aliquo illuſtrare decrevi, præmittenda putavi, ut, quantis viæ anfractibus botanici ad iſtam, qua nunc fruuntur, earum notitiam pervenerint, intelligeretur. Iam ad argumentum, quod propoſui, propius acceſſurus ante omnia, quæ plantæ verticillatæ unilabiatæ dicantur, definiendum eſſe arbitror. Quarum ſpeciales notas priusquam in medium proferam, de plantis verticillatis in univerſum dicere, earumque characteres generaliores commemorare oportet. Hæ, *verticillatæ* CAESALPINO, IO. BAVHINO, MORISONO, RAIO, HERMANNO, MAGNOLIO, BOERHAVIO, MORANDO, LINNEO, OEDERO, GLEDITSCHIO; *labiatæ* TOVRNEFORTIO, PONTEDERAE, HEISTERO, SEGVIERO, ADANSONO; *monopetalæ irregulares flore galeato* RIVINO, RVPPIO; *didynamiæ* LINNEO, HALLERO; *eleutheromacroſtemones dimacroſtemones* WACHENDORFIO; *ringentes gymnoſpermæ* ROYENO, CRANZIO dictæ, ex communi botanicorum ſententia et facie externa, et ſignis tantum inter ſe conveniunt, ut quomodocumque plantarum ordines inſtituere libuerit, ſe dirimi non patiantur, niſi vim naturæ inferre velis. Quamobrem eorum ordinem dignum cenſuerunt botanici, quem inter vere naturales, ut ipſis vocantur, referrent. De characteribus quidem tantum abeſt, ut una omnes conſentiant, ut potius, ſi MORISONVM, RAIVM, TOVRNEFORTIVM, alios evolvas, apud eorum quemque diverſos reperias. Facile tamen inter ſe conciliari, atque una difficultatibus, quibus laborant, liberari poſſunt, ſi, quas ſinguli ſingulas protulerunt notas, omnes ſimul complecti placuerit. Quam nos viam ingreſſi, vel naturam potius ducem ſequuti, ſigna quæ ſequuntur, conjunctim tamen ſumta, huic claſſi ab aliis quibuscumque diſcernendæ ſufficere putavimus:

Digitized by Google

RADIX ramoſa, fibroſa.

CAVLES tetragoni (pauciſſimi teretes), folioſi, ramis, ſi qui ſint, cruciatim brachiati, articulati.

FOLIA ſimplicia, decuſſatim oppoſita, a caule exſtantia, venis in ſuperiore pagina depreſſis, reticulata ſæpeque rugoſa, glandulis minimis globoſis undique obſita, apice (etiam inciſurarum, ſi quæ adſint) glandula majore terminata.

FLORES ex alis foliorum prodeunt, obliqui, hermaphroditi; quorum

CALYX inferus, monophyllus, ſtriatus, in quinos aut bis quinos dentes diviſus, perſiſtens.

COROLLA receptaculo inſerta, monopetala, conſtans *tubo* compreſſo modice curvo, *limbo*que in lacinias inæquales, ſæpe multiformes, ſecto.

NECTARIVM glandula ovata, horizontalis, germini adjacens.

STAMINVM duo paria (licet alterum in quibusdam ſemper maneat imperfectum); eorum *filamenta* ex ſuperiore tubi pariete oriunda, progrediendo a linea recta deflectunt, ea lege inæqualia, ut par medium exteriori longitudine cedat. *Antherarum* bilocularium loculi globoſi transverſe dehiſcunt, utriusque rima in lineam rectam congruente; deinde ita flectuntur, ut alter loculus fiat ſuperior, alter inferior. *Pollinis* moleculæ ovatæ, glaberrimæ, in longitudinem ſulco exaratæ.

PISTILLI ovarium ſ. germen fundo calycis adfixum, quadrifidum, *ſtylum* emittit ſtaminibus parallelum, apice in duo *ſtigmata* transverſe diſſectum.

SEMINA nuda quatuor, angulata, vertice rotunda.

Digitized by Google

§. V.

Unilabiatarum a reliquis discrimen exponitur.

Mirifica istarum partium in hac classe observatur varietas, non quidem æque radicis et caulium, ac foliorum, maxime vero florum; quorum nexus cum caule, forma et divisura admodum est multiplex. Eas igitur ad diagnosin cum specierum, tum, quod ad fabricam florum attinet, generum utiliter adhibuerunt rei herbariæ conditores; a generalibus autem floris adfectionibus argumentum hujus classis in sectiones dividendæ desumserunt. Atque, ut a dispositione florum ordiar, qua aliqui ad constituendas sectiones usi sunt; isti alis foliorum, sæpe forma quodammodo a reliquis diversa præditorum, innascuntur vel solitarii, vel simpliciter congesti; vel pedunculis communibus axillaribus, quasi ramorum abbreviatorum primordiis, propriis suis pedicellis situ opposito (non enim nisi in pauciſſimis, vel altera alarum oppositarum floribus orba deprehenditur, vel flores vere alterni), implantantur. Eorum itaque congeries, prout ab apice, et a se invicem, longius vel propius absunt, plures paucioresve una locantur, sive pedunculis propriis insident aut minimis aut longioribus, capitula, spicas, racemos, verticillos, corymbos rel. sistunt; quorum glomeribus in quibusdam bracteolæ adhærent. Stamina quibusdam duo tantum esse videntur, plurimis quatuor sunt. Calycis dentes vel forma sibi similes, atque æqualiter distributi, vel dissimiles et bifariam divisi, simulque in partes contrarias ita diducti occurrunt, ut os ringentis feræ quodammodo imitentur. Maxime autem hic corolla est consideranda, cujus limbus in quatuor plerumque, aut quinque partes divisus, nunc minus, nunc magis a regula declinat. In quibusdam generibus laciniæ minus sibi invicem dissimiles, regulares corollas mentiuntur. In aliis inæqualibus major est. Plerique vero hujus classis flores bifariam finduntur in portiones magnitudine, forma atque positura admodum diversas, a similitudine rictus ferini *labia* dictas; qua-

Digitized by Google

rum altera ſimplicior (integra aut bifida) adſcendit ſtaminaque munit, altera declivis in ternas plerumque lacinias producitur. In his ſi labium ſuperius reflectum fingas, ut vel omnino abſit, denticulo minimo plerumque bifido ejus locum occupante; vel illius reliquiæ quædam reſtent, quas ad labium ſuperius referendas eſſe obſcurius tantum appareat; ideam floris unilabiati habebis, qualem in pluribus verticillatis ſtirpibus obſervamus.

Sunt etiam in aliis ſtirpium ordinibus flores, quos unilabiatos dicere poſſis, atque eo nomine appellatos invenias. Inter verticillatis finitimas perſonatas occurrit acanthus, cujus labium ſuperius ſeu galea; hyobanche LINN. cujus labium inferius ſive barba deeſt. Ita melianthus, lobelia PLVM. ſeu ſcævola LINN. et rapuntium TOVRN. ſeu lobelia LINN. corollas habent, quarum ſegmenta heteromalla quaſi labium quoddam inferius exhibent, ſuperiore orbum. De his omnibus plura in medium proferre nihil attinet; non tamen ſilentio præteriri potuerunt, ut intelligeretur, quamobrem ſtirpes, de quibus agimus, utroque vocabulo appellandi ſint; quorum originem ſi ſpectes, alterum ad CAESALPINVM, alterum ad TOVRNEFORTIVM auctorem referendum eſſe videtur.

§. VI.

Genera plantarum verticillatarum unilabiatarum.

Iam, ſi quæramus, in quænam genera plantas verticillatas unilabiatas diſtribuere conveniat? ex iis, quæ de earum ab aliis omnibus verticillatis diſcrimine expoſuimus, facile id apparere arbitramur. Duplicem nimirum corollis formam ineſſe monuimus; quæ duplex inſtituere jubet genus; quod reliquarum floris partium fabrica confirmatur. En utriusque deſcriptionem!

I. AIV-

Digitized by Google

I. AIVGA.

LINN. *g. pl. n.* 705. GLED. *meth.* 753. Bugula HALL. *hiſt.* I. p. 123.

CAL. *Periantbium* monophyllum, laxum, leviter angulatum, quinquefidum: *laciniis* inæqualibus, quarum ſuprema minima; perſiſtens.

COR. monopetala, ringens, externe piloſa. *Tubus* baſi globoſus pilis interne coronatus, ſuperius conicus, calyce longior. *Labii ſuperioris* loco denticulus emarginatus, rarius integer. *Labium inferius* magnum, patens, trifidum: *laciniis* lateralibus obliquis, rotundatis, media maxima, deflexa, planiuſcula, obcordata.

NECTARIVM *glandula* ſubgloboſa ſulco bipartita, germini antice adjacens.

STAM. *Filamenta* quatuor, corollæ ad baſin tubi adnata, rectiuſcula, ſubulata, inferius compreſſa, piloſa, quorum duo breviora. *Antheræ* didymæ.

PIST. *Germen* quadrifidum, oblongum. *Stylus* ſtaminibus parallelus, iisque longitudine ſuppar. *Stigma* ſuperius erectum, ſubulatum, inferius deflexum, planum.

PERIC. nullum. Calyx perſiſtens, corollaque emarcida ſemina involvunt.

SEM. quatuor ovata rugoſa.

II. TEVCRIVM.

LINN. *gen. pl.* 706. GLED. *meth.* 752. Chamædrys TOVRN. *iſag. l. c.* HALL. *hiſt.* I. *p.* 124.

CAL. *Periantbium* monophyllum, decies ſtriatum, quinquefidum, dentibus inæqualibus, perſiſtens.

Digitized by Google

COR. monopetala, ringens. *Tubus* cylindraceus, basi curvus. *Labium superius* nullum, cujus locum tenent auriculæ duæ suberectæ, sinu profundo divisæ. *Labium inferius* patens, trifidum: *laciniis* lateralibus minoribus obliquis, media maxima, rotundata, concava.

NECTARIVM *glandula* germen antice cingens.

STAM. *Filamenta* quatuor subulata, rectiuscula seu curva, exserta, quorum duo breviora. *Antheræ* didymæ.

PIST. *Germen* quadrifidum. *Stylus* filiformis, staminibus parallelus. *Stigmata*, duo acuta.

PERIC. nullum. Cal. persistens in fundo fructum continet.

SEM. quatuor angulata, vertice rotundato lævi.

Quo gradus, ut ita dicam, adfinitatis singularum specierum clarius pateſcant, eorumque commodis consulatur, qui harum notitia imbui cupiunt; apte utrumque genus in sectiones dividitur, quales perill. LINNEVS in generibus Caricis, Trifolii, Simiæ, Grylli rel. instituit, atque in omnibus, multas species complectentibus, instituendas esse Ill. LVDWIGIVS *inst. r. v.* §. 251. monuit. Argumentum hujus divisionis, non tantum a modo florendi, sed ab ipso quoque flore petendum, satis evidens est atque constans, licet non tanti momenti, ut veris generibus ex hisce sectionibus formandis sufficiat. Quam ob rem TOVRNEFORTIVM, iisdem velut generibus usum, secundariorum nomine perite a reliquis separasse notavimus §. I.

Sectiones prioris generis, AIVGAE, sequentes sunt:

I. BVGVLA. TOVRNEF. *inst. r. herb. t.* 98. Huic *Perianthium* breve, campanulatum. *Corollæ* tubus incurvus; dens emarginatus s. integer; faux patula; labium deflexum: laciniis lateralibus elongatis, divaricatis: media complanata, lacinulis oblongis. *Stylus* post anthesin flore fit longior.

Digitized by Google

2. CHAMAEPITYS. TOVRNEF. *inſt. t.* 98. *Perianthium* in medio paullo ventricoſius, longitudine fere tubi. *Cor.* tubus rectus; dens emarginatus obſcurior, vel nullus; faux ſemicylindracea, interne linea duplici piloſa; labii laciniæ laterales breves, verticales, rotundatæ; media patens, apice deflexa, lacinulis ſubrotundis.

Chamæpitys a plerisque ad Teucrium referri ſolet; non tamen vereor, ne in reprehenſionem incurram, quod iis aſſentior, qui cum Bugula illam conjungunt, cum lex *philoſ. botan.* §. 165. ab hac disjungere non permittat. Cur autem clariſſ. SCOPOLIVS in *fl. carniol. tom.* I. *p.* 418. ſtigma ipſius ſimplex capitatum ſurſumque curvatum dicat, me neſcire fateor; mihi ſemper bifidum viſum eſt.

Alterum genus, TEVCRIVM, in ſequentes dividitur ordines:

I. TEVCRIVM. TOVRNEF. *t.* 98. cui *Perianthium* campanulatum, laxum, ſemiquinquefidum: laciniis infimis anguſtioribus. *Cor.* tubus calyce brevior. Auriculæ lacuna profunda diviſæ, verticales, transverſæ, antrorſum conniventes, falcatæ, a tergo connexæ faſcia tubi hiatum ambeunte. Labium patens; laciniis lateralibus quam auriculæ majoribus, oblongis, planiuſculis, apice adſcendentibus; media magna, oblonga, concava, obtuſa. *Sem.* lævia.

2. CHAMAEDRYS. TOVRNEF. *t.* 97. DILLEN. *nov. gen. t.* 3. *Perianth.* tubulatum, baſi antice gibbum, ore quinquedentato: dentibus triangularibus adſcendentibus, quorum ſuperior ſæpe reliquis paullo latior, duo infimi anguſtiores. *Cor.* tubus longitudine calycis. Auriculæ erectæ, transverſæ, antrorſum conniventes, falcatæ. Labium declive, baſi ſulco barbato exaratum; laciniæ laterales auriculis minores, patentes; media major cochleariformis, ſubrotunda, leviter triloba, an-

Digitized by Google

tice obſolete crenata. *Filamenta* incurva, altitudine auricularum. *Sem.* lævia.

3. SCORODONIA. ADANS. *fam. p.* 188. *Perianth.* tubulatum, baſi antice gibbum, ore bilabiato. Labium ſuperius majus, ovatum, ſæpius cordatum, nervoſum, erectum; inferius quadridentatum: dentibus convergentibus: lateralibus brevioribus latioribusque inæquilateris, infimis porrectis. *Cor.* tubus longitudine calycis aut longior, erectus, cylindraceus, dorſo biſulcatus. Auriculæ verticales, antrorſum ſpectantes, rotundatæ, a tergo tubi crena diviſi. *Labium* dependens, tubo fere parallelum; laciniæ laterales auriculis fere majores, oblique patentes; media maxima, ovata, cochleariformis. *Filam.* corolla altiora, erecta; poſt antheſin divergentia, reflexa. *Stylus* ſtaminibus brevior. *Sem.* lævia, corolla emarcida veſtita.

4. POLIVM. TOVRNEF. *t.* 97. *Perianth.* e cylindraceo campanulatum, baſi vix gibbum, quinquangulare, ore quinquedentato: dentibus triangularibus, quorum ſuperior reliquis paullo latior, infimi anguſtiores. *Cor.* tubus cylindraceus, baſi antice paullo ventricoſior, ſcrobiculis tribus impreſſis notatus, longitudine fere calycis. Auriculæ verticales, erectæ, conniventes, ſemiellipticæ, rotundatæ. Labium tubo normale, patens, baſi barbatum; laciniæ laterales minimæ, ex ovato lanceolatæ, media ſubrotunda, concava, majore. *Fil.* erecta, baſi hirſuta. *Stigm.* inæqualia. *Sem.* rugoſa.

Pauca adhuc de florum utriusque generis forma, antequam aperiantur, adjicienda ſunt. Calycis dentes in flore clauſo marginibus conglutinati eſſe ſolent. Corolla involuta eſt, ea lege, ut labii lacinia media retro ſeu introrſum flexa, baſi obtegatur laciniis lateralibus, quibus auriculæ aut dens, galeæ locum occupantes, imbricatim incumbunt. Stamina intra laciniam labii mediam una cum ſtylo latent.

Digitized by Google

§. VII.

Notæ generum atque ſectionum, ab herbæ partibus petitæ.

Præter florem reliquæ etiam harum plantarum partes, ipſaque externa facies, et genera, et ſectiones generum quodammodo diſtinguit. Inter *Ajugas* Bugulis folia ſunt latiora, rugoſa, indiviſa, radicalia et caulina inferiora petiolata, ſuperiora ſeſſilia, flores in alis foliorum conferti, pedunculis breviſſimis a ſe invicem diſtinctis inſidentes. Chamæpityos ſpeciebus caules proſtrati, folia anguſtiora; flores ſolitarii in brevibus pedunculis. *Teucriorum* cohors, quæ in ſpecie eo nomine a TOURNEFORTIO appellatur, folia exhibet forma parum vel nihil inter ſe diverſa; flores ſolitarios in ſummitatibus caulium, ſæpe etiam ramorum; quamobrem, maxime ſi folia iis ſubjecta apicem verſus magnitudine decreſcant, omnes ſimul ſumti racemum, ſimplicem vel compoſitum, utcumque ſiſtunt. Chamædryi folia ſunt floralia a reliquis plerumque diverſa; verticilli dimidiati, e floribus a duobus ad decem per axillas oppoſitas inæquali utplurimum numero diſtributi, alterni alterna latera ſpectantes; pedunculi uniflori, baſi connati quotquot eidem alæ inſident, erecti, aliquantulum extrorſum curvati, calycibus ſuis non longiores. Scorodoniis folia floralia a reliquis forma et magnitudine admodum diſcrepantia; racemi vel e floribus oppoſitis, ſingulis intra ſingulas foliorum floralium alas hærentibus, verſus idem latus flexis, compoſiti, vel e floribus alternis denſe imbricatis compacti. Poliis caulis teres, plerumque lana magis minusve intricata, telam goſſypinam æmulante, inductus; ſicut folia, quæ plurimis anguſta ſunt, crenisque reflexis inciſa, floralia minuta atque alius figuræ; flores oppoſiti, in corymbos aut capitula arctiora compacti.

Digitized by Google

§. VIII.

Species generis prioris.

Conſtitutis plantarum noſtrarum unilabiatarum generibus, ad declarandas ſpecies progredimur, quas examinandi opportunitatem nacti ſumus; in quibus recenſendis eum ſervabimus ordinem, quo genera eorumque ſectiones ſupra tradidimus.

I.

AIVGA.

* BVGVLA T.

1. A. *orientalis* foliis ovatis, corollis obliquis.

Ajuga orientalis. LINN. *ſp. pl. 785.*

Bugula orientalis villoſa, flore inverſo cæruleo alba macula notato. TOVRNEFORT. *coroll. p. 14.* DILLEN. *h. elth. t. p. 60. deſcr. t. 53. f. 61. ic. bon.* HALL. *hort. gott. p. 316. d. floris.*

Habitat in Oriente, perennis; floret vere et auctumno.

Caules pedales, baſi procumbentes, erecti, hirſuti. Folia ovata, dentata, margine undulata, rugoſa, villoſa; floralia nonnumquam triloba, viridia rubrove colore tincta. Flores in ſingulis verticillis utrinque V-VII. ſeſſiles. Calyx laxus. Corolla obliqua, tubo ſcilicet baſi dextrorſum torto; cærulea, labio ſæpius macula alba picto. Tubus longior, ac dens (ſæpius integer) major quam in ſequentibus. Stamina incluſa. — Variat, ſecundum TOVRNEFORTIVM, corolla candida oris purpureis, eademque e cæruleo flavicante.

2. A. *reptans* caule ſimplici erecto, ſtolonibus repentibus, foliis ovatis crenatis.

Ajuga reptans. LINN. *ſp. pl. 785.*

Bugula foliis ovatis dentatis, flagellis reptans. HALL. *hiſt. t. p. 123. n. 282.*

Bugula. DOD. TOVRNEF. *inſt. p. 209.* RAI. *hiſt. t. p. 575.* RIVIN. *monop. t. 140.* GEOFFR. *mat. med. 3. p. 229.* GARSAVLT *ic. 184.*

Conſolida media pratenſis cærulea. BAVH. *pin. 260.*

Conſolida media. BRVNF. *Krauterb. 2. p. 190. f. dext.* FVCHS. *Krauterb.*

Digitized by Google

319. ic. MATTHIOL. *comm. p. 962. ic.* CAM. *epit. p. 702. ic. sed sine stolonibus.* BLACKW. *herb. t. 64. f. 1.*

Dissocaulis. RENEALM. *specim. p. 124.*

H. in Europæ (usque ad gr. 54-55. lat. bor.) pratis, locis graminosis, præsertim solo pingui, humido, etiam in montibus, ipsisque adeo alpibus; perennis. Floret cum cardamine pratensi, aliquando etiam auctumno.

Caulis erectus, glaber: lateribus oppositis alterne pilosis; basi cinctus stolonibus repentibus, raro floriferis. Folia ovata seu oblonga, glabra, obtusa, crenata; floralia sæpe colore corollæ tincta. Verticilli e floribus VIII ad X utrinque conflati, villosi. Corollæ tubus calyce duplo longior; labium cyaneum, sæpe macula cordata alba variegatum. Stamina corolla breviora. — Variat foliis subrotundis, ovatis, oblongis, obsoletius seu profundius crenatis, rarius integerrimis; colore corollæ, cæsio, cinereo, albo, roseo; hæc ultima est Bugula carneo flore. CLVS. *hist. p. XLIII. cum icone aliena.* Varietatem venis foliorum omnibus luteis habet VAILLANTIVS *bot. paris. p. 24.*

3. A. *pyramidalis* caulibus simplicibus erectis, foliis oblongis dentatis.

α. Foliis infimis maximis.

Ajuga pyramidalis. LINN. *sp. pl. 785. n. 2. syst. nat. 12. p. 387. it. œl. p. 20.* OEDER. *fl. dan. t. 185. opt.*

β. Foliis infimis angustioribus, floralibus plerisque trilobis.

Ajuga genevensis. LINN. *sp. pl. 785. n. 3. syst. nat. l. c.*

Bugula foliis angulosis hirsutis, calycibus villosis. HALL. *hist. n. 285.*

Bugula montana. RIV. *monop. t. 140. f. 2.*

Consolida media genevensis. BAUH. *hist. 3. p. 432. c. ic.*

Phyllochnois. RENEALM. *spec. p. 125.*

γ. Foliis infimis angustioribus, floralibus integris.

Ajuga alpina. LINN. *mantiss. p. 80.*

Consolida media alpina. BAUH. *prodr. p. 220. ic. mala.* BAUH. *hist. l. c.*

Bugula cærulea alpina. PLUK. *phyt. 73. t. 18. f. 3.*

H. in Europæ pratis editioribus, collibus, montibus, alpibus; α. in regionibus septentrionalibus, ipsaque Groenlandia, et in montibus austra-

Digitized by Google

lioribus altioribus, alpibusque; β. γ. in Europa media; perennis. Fl. cum ſtolonifera, ſed paullo ſerius, ſæpe etiam auctumno redit.

Caules ſolitarii ſeu plures, ſtolonibus deſtituti, ſeniores interdum declinati, undique denſe villoſi. Folia oblonga, dentata, villoſa, obtuſa; infima in variet. α. magis ovata, β. et præcipue γ. lanceolata; floralia α. et γ. ovata, ſerrata, β. plerumque triloba, medio lobo productiore, lateralibus divergentibus, utplurimum colore corollæ tincta. Flores in ſingulo verticillo utrimque II ad VII, villoſi. Cor. tubus quam in præcedente brevior; dens geminus minus conſpicuus; labium cæruleum, unicolor, vel maculis duabus albis pictum. Stamina longitudine laciniarum lateralium.

Mirifice variat ſtatura, interdum vix digitum æquante, aliquando fere bipedali (qualem ad fl. Teplam Bohemiæ, ubi e thermis Carolinis exit, Auguſto 1771 inveni); forma pyramidem nunc perfectius, nunc obſcurius repræſentante; foliorum proportione, maxime vero horum figura polymorpha, ad ovatam, lanceolatam, linearem accedente; circumferentia magis et confertius, minusve dentata; villoque vel denſiori, vel rariori. Quas foliorum inprimis differentias non ſolum in pluribus e vario loco natali petitis individuis, ſed nonnumquam in uno eodemque obſervare licet. Quamobrem multorum comparatione inſtituta, varietates recenſitas in numerum ſpecierum referre non potui, utpote quarum limites nimis dubii ſint atque incerti. Varietates 2. 3. ſæpius vidi corollis colore dilutiore, cinereo, albo, purpureo roſeoque ludentes. Præcipua hujus ſpeciei nota in defectu ſtolonum conſiſtit.

** CHAMAEPITYS T.

4. A. *Chamæpitys* foliis trifidis, floribus axillaribus ſolitariis folio brevioribus, caule diffuſo.

Bugula foliis imis linearibus, caulinis tripartitis. HALL. *hiſt. 1. p. 124. n. 284.*

Teucrium Chamæpitys. LINN. *ſp. pl. p. 787.*

Chamæpitys. RIVIN. *monop. t. 24.* BLACKWELL. *herb. t. 528.*

Chamæpitys prima. MATTHIOL. *comm. p. 940.* DOD. *pempt. p. 46.*

Ajuga ſive chamæpitys mas Dioſc. LOB. *hiſt. p. 107. ic. 382.*

Chamæpitys lutea vulgaris, folio trifido. BAUH. *pin. 249.* GEOFFR. *mat. med. 3. p. 306. defcr.* GARSAULT *ic. 217.*

Chamæpitys vulgaris odorata, flore luteo. BAUH. *hiſt. 3. p. 295.*

β. Cha-

Digitized by Google

β. Chamæpitys vulgaris folio trifido, flore roſeo, luſitanica. TOVRN. *inſt. p. 208. excluſo ſynonymo, ſpecimen 18 referendo.*

H. in agris glareoſis lapidoſisque; in Franconia Brandenburgica circa Zwerniz prope Baruthum, in Saxonia paſſim circa Dresdam Lipſiamque; et in reliqua Germania, totaque Europa auſtraliore inde a gradu 51 ½, Palæſtina, Africa boreali, Virginia; annua. Fl. poſt ſolſtitium cum Hyſſopo.

Plantula pulchra, vix dodrantalis, piloſa. Fol. ima lanceolata, integra, trinervia, obtuſa; paullo ſuperiora lanceolata, tridentata; reliqua tripartita, avicularum pedes referentia, integerrima, obtuſa. Petioli infimi prælongi, ſuperiores ſenſim decreſcunt et dilatantur, trinervii. Flores parvi, breviſſime pendunculati. Cal. depreſſus, ore contractior: dente ſummo duplo minore. Cor. lutea, labio ſerie duplici punctorum ſanguineorum diviſo. Filamenta baſi barbata. — Varietas minor et tenerior eſt.

5. A. *chia* foliis triſidis, floribus axillaribus ſolitariis folio longioribus, caule diffuſo.

Chamæpitys chia, folio trifido, magno flore. TOVRNEF. *coroll. p. 14.*

H. in inſula Chio.

Simillima priori eſt et pariter piloſa, ſed tenerior ſtrictiorque. Flos multoties major, folium ſibi ſubjectum longitudine excedit. Cor. lutea, labii crena profundiore.

6. A. *Iva* foliis linearibus antice dentatis, floribus axillaribus ſolitariis.

Teucrium Iva. LINN. *ſp. pl. 787. n. 7.*

Chamæpitys moſchata, foliis ferratis. BAVH. *pin. 249.* TOVRN. *inſt. p. 208.* RAI. *hiſt. 1. p. 574. deſcr.* GEOFFR. *mat. med. 3. p. 307. deſcr.* GARS. *ic. 218.*

Anthyllis altera. CLVS. *hiſp. p. 481. hiſt. 2. p. 186. ic. bon.*

Anthyllis chamæpityides minor. LOBEL. *hiſt. p. 208. ic. 384. bon.*

H. in arenoſis, ſiccis, lapidoſis Galliæ auſtralis, Hiſpaniæ, Luſitaniæ CLVS. LOEFL. Siciliæ ad promontorium pachynum RAI. Corſicæ VALL. Mauritaniæ SHAW. non igitur ſupra gr. 43. lat. Annua. Fl. poſt ſolſtitium æſtivum.

Herba pilis denſis canis hiſpida, humiſtrata. Folia obtuſiuſcula, apicem verſus paullo latiora cum dentibus duobus tribusve obtuſis. Flores

Digitized by Google

longitudine foliorum vel paullo longiores. Cal. parvus. Cor. purpurea. — Variat corollis luteis et albis. TOVRNEF.

7. A. *moſchata* foliis linearibus integerrimis, floribus axillaribus ſolitariis ſeſſilibus. MILL. *dict. n. 15.*

H. in comitatu Nicæenſi ALLION. in Mauritania HEBENSTR.

Priori ſimilis, ſed foliis paullo anguſtioribus, antice non latioribus, nullo dente inciſis, obtuſioribus, floribusque minoribus diverſa. A cl. ALLIONIO pro iſtius varietate habetur. *Fl. nic. p. 43.*

8. A. *ſalicifolia* foliis lanceolato-ellipticis obtuſiuſculis integerrimis, calycibus ſolitariis quadrifidis. LINN. *mantiſſ. p. 80.* SCHR. *dec. pl. 1. p. 17. t. 9.*

Chamæpitys orientalis ſalicis folio. TOVRNEF. *cor. p. 14.*

H. in Armenia. Perennis.

Caules diffuſi, baſi lignoſi, pubeſcentes. Folia breviſſime petiolata, lineata, ſcabra. Flores oppoſiti, magni, foliis tamen breviores, breviſſime pedunculati. Calycis dentes quatuor æquales. Cor. lutea, interne ſtriis quinis ſanguineis.

§. VIII.

Species generis poſterioris.

II.

TEVCRIVM.

* TEVCRIVM T.

9. T. *fruticans* foliis lanceolatis integerrimis ſubtus niveis, floribus ſolitariis.

Teucrium fruticans. LINN. *ſp. pl. p. 787. ſyſt. nat. p. 387.* MÜLLER. *ſpec. pl. t. 5.*

Teucrium peregrinum, folio ſinuoſo. BAUH. *pin. 247.*

Teucrium (fruticans) bæticum. CLUS. *hiſt. 1. p. 343. c. ic. med.* BAUH. *hiſt. 3. p. 291.* BARR. *obſ. 348. t. 512.* DILL. *h. elth. 2. p. 379. t. 284. fig. 366. bon.* DUHAM. *arb. 2. p. 89. t. 89. f. 2.*

Digitized by Google

β. Teucrium fruticans bæticum, minore folio. DILLEN. *l. c. f. 367. bon.*

Teucrium humilius et ramoſius, foliis ſubrotundis. *Phil. tranſ. n. 395. p. 127. t. 196. Cat. ſoc. hortul. lond. t. 3.*

γ. Teucrium latifolium. LINN. *ſp. pl. p. 788. n. 10.*

Teucrium fruticans bæticum, ampliore folio. DILLEN. *l. c. f. 368. bon.*

Teucrium bæticum, flore cæruleo. RIVIN. *mon. t. 18.*

Teucrium hiſpanicum latiore folio. TVRN. *inſt. p. 208.*

H. in montuoſis ſterilibus maritimis Bæticæ: circa fretum Herculeum, Gadibusque CLVS. OSB.; Italiæ ad portum Terracinæ BARR.; Siciliæ ad promontorium Pachynum RAI.; Corſicæ; Mauritaniæ; adeoque circa gr. 36. lat. Fl. Februario, in hortis apud nos æſtate.

Frutex humanæ altitudinis. Caules rigidi, albidi, ramis, foliis ſubtus, petiolis, pedunculis, calycibus externe, tomento denſiſſimo niveis. Folia petiolata, margine ſæpius undulata, ſupina facie lanata. Flores plantæ ſpontaneæ in ſummitatibus ramorum congeſti, fere racemoſi, foliis floralibus longiores; cultæ remotiores, vix longitudinem foliorum æquantes. Pedunculi breves. Cal. obtuſiuſculi. Corollæ cæruleæ, auriculis griſeis rubro ſtriatis; in ſolo natali etiam candidas CLVSIVS obſervavit. — Var. β. potiſſimum differt foliis paullo latioribus brevioribusque. γ. latioribus aliquantulum rugoſis ſupra magis lanatis; ſed folia in α. quoque figura variant. Occurrunt etiam maculis aureis variegata.

10. T. *breviſolium* foliis lanceolatis revolutis integerrimis obtuſis incanis, floribus ſolitariis, calycibus muticis.

Teucrium fruteſcens, ſtœchados arabicæ folio et facie. TVRN. *cor. p. 14.* RIVIN. *monop. t. 20. f. A.*

Polium anguſtiſolium creticum. BAUH. *pin. 221.*

Polio retto di Candia. PON. *bald. p. 156. ic. mediocr.* MORIS. *hiſt. 3. p. 356. t. 2. f. 15.*

H. in maritimis Cretæ,

Fruticulus cubitalis, cortice luteo rimoſo, ramis annotinis pubeſcentibus. Folia, petiolis omnium breviſſimis inſidentia, lanceolata, ob marginem revolutum vero perquam anguſta, obtuſa, utrinque incana (ſupra pilis breviſſimis, ſubtus tomento), foliis ſtœchadis arabicæ ſimilia, ſed dimidio breviora ſunt; horum axillas faſciculi foliorum minorum denſi replent. Flores in ſummitate pauci, axillares, longitudine foliorum flo-

Digitized by Google

ralium. Cal. parvus, incanus, acutiuſculus. Cor. calyce triplo major, externe villoſa.

11. T. *hyſſopifolium* foliis linearibus integerrimis acuminatis ſubtus niveis, racemo floribus ternatis ſolitariisque, calycibus ſpinoſis.

Teucrium creticum. LINN. *ſp. pl. 1. p. 788. n. 11. non ſyn.* GOUAN. *h. monſp. 272. n. 10.*

Rosmarinum ſtœchadis folio. ALP. *exot. p. 103. deſcr. t. 102. mal.* MORIS. *hiſt. 3. p. 410. ſ. 11. t. 16. f. 3. ead.* RAI. *hiſt. 3. p. 1335. deſcr. ead.*

H. in Aegypto, Palæſtina. HASSELQ.

Frutex rigidulus, cortice cinnamoneo, verſus apicem tomento niveo denſiſſimo veſtito, ſicut foliorum ſuperficies inferior, calycumque exterior. Folia ſeſſilia, fere hyſſopi linearia, marginibus parum reflexis, ſupra vix pubeſcentia, acuta, duplo et triplo quam prioris, longiora; floralia minora. Racemi longi, interrupti. Pedunculi oppoſiti, infimi trifidi, triflori, breves, ſuperiores ſolitarii breviſſimi ſ. vix ulli. Bracteolæ 2 lineares ſub pedicellis, iis duplo longiores. Flores majores. Cal. mucronibus rigidis pungentibus ariſtatus. Cor. calyce duplo longior, nervis externe villoſis.

Confunditur plerumque cum præcedente, ſed facie externa, notisque recenſitis ſatis differt. Plantam Alpini hanc eſſe, non præcedentem, exinde, quod folia deſcribat longitudine ſtœchadis, atque in acumen deſinentia, clarum eſt; quamvis flores monſtroſiſſime pinxerit.

12. T. *ſibiricum* foliis ovatis ferratis, pedunculis ſolitariis trifloris; bracteis lineari-lanceolatis. LINN. *ſp. pl. p. 788.*

H. in Sibiria. Perennis.

Caulis herbaceus pedalis adſcendens tetragonus brachiatus nudus, craſſitie veronicæ officinalis. Rami oppoſiti erecti, ſæpius ſimplices. Folia oppoſita, breviſſime petiolata, ovata, nuda, ſcabriuſcula, ſubobtuſa, utrinque ſerraturis III. ſ. IV. obtuſiuſculis, utrinque viridia, venoſa, facie veronicæ officinalis. Superiora folia (ubi fructificationes exeunt) lanceolata ſubſeſſilia acuta, ſæpius integerrima. Pedunculi ex alis ſuperiorum foliorum, patuli, apice triflori: flore intermedio ſeſſili; lateralibus pedunculatis, pedicello longitudine calycis. Bracteæ (infra flores) binæ oppoſitæ, lineari lanceolatæ, acutæ, longitudine calycum.

Digitized by Google

Cal. infundibuliformi-campanulatus, ſtriatus, æqualis, laciniis acuminatis et fere ariſtatis. Cor. non magna, purpurea. — Rariſſima iſthæc planta in b. GMELINI Flora ſibirica deſideratur; hanc deſcriptionem benevolentiæ perilluſtr. *a* LINNE' debeo.

13. T. *cubenſe* foliis obovatis inciſo ſerratis glabris in petiolum attenuatis, floribus ſolitariis pedunculatis. IACQ. *h. pl. amer. p. 172. obſ. 2. p. 5. t. 30.* LINN. *ſyſt. nat. p. 388.*

Teucrium americanum chamædryos folio, flore albo. HOVST. *ap.* MILL. *diſt. n. 16.*

H. in inſulæ Cubæ ſubhumidis. Perenne.

Caulis acute tetragonus, glaber. Folia fere T. lucidi, ſed petiolis brevioribus, magis rhombea, inciſuris magis rectilineis, infimis longioribus remotioribus; floralia inæqualiter triloba. Pedunculi calyce non longiores, filiformes, ſecundi. Cal. quinquepartitus, acutus. Cor. calyce vix longior, acuta, alba.

14. T. *niſſolianum* foliis quinquefidis trifidisque linearibus muticis, pedunculis ſolitariis breviſſimis, caule decumbente.

Teucrium niſſolianum. LINN. *ſp. pl. p. 786.*

Teucrium ſupinum annuum luſitanicum, foliis laciniatis. TOVRN. *inſt. p. 208.* (MORIS. *hiſt. 3. p. 423. ſ. 11. t. 22. f. 19. mala ſub nomine alieno.* RAI. *hiſt. 3. p. 283. n. 16. emd. deſcr.*)

H. in Hiſpania, Luſitania. Annuum.

Caulis ſcaber. Folia peranguſta, ſemitrifida, laciniis bi- et tridentatis, obtuſiuſcula, fere glabra. Pedunculi capillares, ſecundi. Cal. quinquepartitus: laciniis patulis, in ariſtas longas ſetaceas pallidas deſinentibus. Cor. vix calyce longior, obtuſa, cærulea. Stam. brevia. Sem. rugoſa. — A MORISONO et MILLERO cum T. multifloro confunditur.

15. T. *Pſeudochamæpitys* foliis trifidis integrisque linearibus mucronatis, pedunculis ſolitariis elongatis, caule diffuſo.

Pſeudochamæpitys. LINN. *ſp. pl. p. 787.* GOVAN. *hort. monſp. p. 271.* GERARD. *fl. gallopr. p. 276. n. 3.*

Teucrium ſupinum perenne, foliis laciniatis. TOVRN. *inſt. 208.*

Digitized by Google

Chamæpitys ſpuria. DOD. *pempt. p. 47. c. ic. dupl.* multifido folio, lamii flore. BAUH. *pin. 250.* MORIS. *hiſt. 3. p. 425. ſ. 11. t. 21. f. 2. med.*

Pſeudochamæpitys. CLUS. *hiſt. 2. p. 185.* LOB. *hiſt. 209. ic. 385.*

H. in montoſis incultis Luſitaniæ, Hiſpaniæ, Maſſiliæ. Perenne.

Caulis hirtus, internodiis elongatis. Folia anguſta, trifurcata, margine revoluta, piloſa, ſuperiora tricuſpidata et integra, ſumma minuta. Pedunculi longi, folia floralia æquantes vel ſuperantes; ſuperiores ſenſim breviores; omnes ſimul quaſi racemum longum brachiatum interruptam formant. Flores erecti. Cal. piloſus, ariſtatus. Cor. alba, piloſa, ſtaminibus brevior. Sem. cinerea.

16. T. *mauritanum* foliis multifidis linearibus: floralibus mucronatis, racemo ſimplici.

Teucrium mauritanum. LINN. *ſp. pl. 787. n. 8.*

Teucrium delphini folio, non ramoſum. SHAW. *voyage 2. app. p. 121. n. 575. c. ic. monſtr.*

H. in Mauritania. Perenne.

Caulis erectus, ſpithamæus. Folia in petiolos deſinentia, trifida (ſuperiora fere uſque ad baſin): laciniis ſubæqualibus acutis, lateralibus bifidis, media trifida. Floralia tripartita: laciniis linearibus integris mucronatis. Folia, præter floralia, quo inferiora, eo minora, ut in ſequente. Flores oppoſiti, ſolitarii, breviſſime pedunculati, majores quam præcedentis. Cal. profunde quinquefidus, mucronatus, villoſus. Cor. calyce major, externe villoſa, obtuſa, alba. Tota planta pilis raris conſperſa.

17. T. *orientale* foliis multifidis linearibus, racemo compoſito, pedicellis brevibus.

Teucrium orientale. LINN. *ſp. pl. p. 786.*

Teucrium orientale anguſtifolium laciniatum, magno flore ſubcæruleo. TOURN. *cor. 14.* COMMEL. *rar. p. 25. c. ic. pl. cultæ.* RIVIN. *monop. t. 19. ic. pl. c.*

β. Teucrium orientale anguſtifolium laciniatum, magno flore ſuaverubente. TOURNEF. *cor. 14.*

H. in Armenia T. Media ad rivulos in ſolo glareoſo. BUXB. Perenne.

Caulis pedalis, erectus, pubeſcens, ſicut tota planta. Folia petiolata, ambitu e cordato ovata, laciniis linearibus peranguſtis obtuſis; in-

Digitized by Google

feriora quinquefida, laciniis oppositis: lateralibus in lacinulas alternas sectis: superiora, sub racemis, minora, ad basin fere divisa; tum tripartita, segmento medio trifido, lateralibus bifidis, quæ in supremis, et floralibus parvis, omnia integra sunt. Racemus brachiatus, ramis adscendentibus, basi nudis. Pedicelli subæquales, filiformes, pubescentes, tam internodiis quam floribus breviores. Flores magni. Cal. patens, acuminátus, pilosus. Cor. calyce longior, cærulea, venis saturatioribus. — Planta culta fere glabra est; huic rami steriles, ex alis inferioribus enati; folia majora: laciniis latioribus, lineari lanceolatis, obtusioribus, magisque divaricatis. — Var. β. altior, pilosa, foliis est minoribus, in lacinias pauciores aliquanto latiores, lineares tamen divisis, floribus paullo majoribus; an diversa species?

18. T. *parviflorum* foliis multifidis linearibus, racemo decomposito: pedicellis elongatis divaricatis.

Teucrium orientale latifolium laciniatum, flore parvo. TOURN. *cor. 24.*

H. in Armenia.

Caulis erectus, herbaceus, fere tripedalis, obtuse tetragonus, sulcatus, pilis minutis incanus, sicut folia, racemi, calycesque; ramosus. Folia magna, ambitu e cordato ovata, tripartita: laciniis pinnatifidis, lacinulis alternis, linearibus, integerrimis, acutis, divergentibus, eo paucioribus, quo superiora sunt folia; ad ramos racemi pariter tripartita, sed lacinia media trifida, lateralibus indivisis; floralia minuta, tripartita, indivisa. Racemus brachiatus, ramis horizontalibus, basi nudis, inferioribus inferne ramosis. Pedicelli patuli, filiformes: inferiores paullo longiores. Flores parvi, patuli. Cal. dentes angusti, acuti. Cor. calyce vix longior, cærulea.

19. T. *campanulatum* foliis multifidis, floribus lateralibus solitariis, caulibus repentibus. LINN. *syst. nat. 387. sp. pl. 786. n. 1.*

Teucrium supinum perenne palustre apulum glabrum, foliis laciniatis, flore albo. MICH. *h. flor. p. 93. 175. descr.* TILL. *h. pis. p. 163. t. 46. f. 1.*

Teucrium calyce campanulato, laciniato, flore parvo subcæruleo. BOERH. *ind. alt. p. 181.*

Chamædrys supina, floribus pulchre laciniatis, chamædryos botryoidis facie, inodora. CVPAN. *h. cathol. 47.* RAI. *hist. 3. p. 283. d. br.*

Iva moschata flore albo. RIV. *monop. t. 24.*

Digitized by Google

H. in humidis Apuliæ circa Malfetam MICHEL. Hiſpaniæ MILLER. Mauritaniæ HEBENSTR.

Caules pedales, repentes, obtuſi, villis minimis raris conſperſi. Folia fere T. Botryos, ſed brevius petiolata, glabra, punctata, profunde trifida: laciniis lateralibus trifidis, media longiore, quinqueſida; lacinulis oblique aſſurgentibus, inciſis, obtuſis. Pedunculi breves, erecti, poſt antheſin cernui. Cal. vix piloſus, ſemiquinqueſidus: dentibus mucronatis, mollibus, fructu maturo rigidis, patulis. Cor. patens, obtuſa, margaritacea, lineolis rubentibus. Filamenta recta, albicantia. Semina tumida, tomentoſa.

** CHAMAEDRYS. T.

20. T. *Botrys* foliis multifidis, verticillis dimidiatis.

Teucrium Botrys. LINN. *ſp. pl. 786. n. 3.*

Chamædrys foliis pinnatis: pinnis dentatis trilobis, verticillis paucifloris. HALL. *hiſt. 1. n. 289. deſcr.*

Chamædrys laciniatis foliis. LOBEL. *hiſt. p. 209. fig. bon. ic. 385. eod.* RAI. *hiſt. 1. p. 528. deſcr.* TOURN. *inſt. 205.* VAILL. *parif. 33.* MILL. *ic. 264.*

Chamædrys vera femina. FUCHS. *Kraut. f. 499.*

Botrys verticillata. BAUH. *hiſt. 3. p. 298. ic. med.*

Botrys chamædryoides. BAUH. *pin. 158.*

Iva moſchata, folio multifido. RIV. *mon. t. 24.*

H in collibus aridis apricis, potiſſimum calcariis; Germaniæ, (in terris Baruthinis am Streitberge, Speckberge, ad Zwerniz) Helvetiæ, Galliæ, Italiæ; vix ſupra gr. 5 I/2. Annuum.

Planta piloſa, viſcida, dodrantalis. Caulis diffuſus. Folia petiolata, ambitu e cordato ovata, recurva, multifida: laciniis parallelis, quinqueſidis, trifidis, bifidis, integris, obtuſis. Verticilli folio breviores, florum V ad VIIII. Cal. baſi admodum gibbus. Cor. rubens, medio alba punctis rubris conſperſa, dorſo marginata, lacinia labii media ſubrotunda, reliquis acutis. Filamenta curva, lineolis rubris conſperſa. Semina glabra, punctata. — Variat floribus albis. VAILL.

21. T. *Chamædrys* foliis oblongis profunde ſerratis, verticillis dimidiatis, caulibus procumbentibus, piloſis.

Teucrium Chamædrys. LINN. *ſp. pl. p. 790.*

Chamæ-

Digitized by Google

Chamædrys foliis firmis ovatis crenatis, verticillis paucifloris. HALL. *hiſt. 1. n. 286.*

α. Chamædrys minor repens. BAUH. *pin. 248.* TOURNEF. *inſt. 205. tab. 98. bon.*

Chamædrys. FUCHS. *Kræuterb. c. 335. ic. 498. bon.* CLUS. *hiſt. 1. p. 351. t. 17.* BLACKW. *herb. t. 80.* GEOFFR. *mat. med. 3. p. 296. deſcr.* GARSAULT *ic. 214. bon.* major. LOB. *ic. 491. ex Cluſio.*

β. Chamædrys major repens. BAUH. *pin. 248.* TOURN. *l. c.*

Chamædrys vulgo vera exiſtimata. BAUH. *hiſt. 3. p. 288.*

Chamædrys. LOB. *hiſt. p. 260. fig. ic. 491.* MATTH. *com. p. 818.*

γ. Chamædrys alpina hirſuta repens. MORIS. *hiſt. 3. p. 422. d. br.* RAI. *hiſt. 3. p. 282.* TOURN. *inſt. l. c.*

H. in apricis, acclivibus, aſperis Germaniæ, Helvetiæ, Galliæ, Italiæ, Pannoniæ, inſularum Archipelagi, Palæſtinæ circa Hieroſolyma, minor non ſupra gr. 53., major non ſupra gr. 45. Perennis. Fl. Iun. Iul.

Radix lignoſa. Caules baſi perennes, obſcurius angulati. Folia ovato oblonga, baſi acuta, integerrima, inciſo-ſerrata, obtuſa, piloſa, in petiolos breves deſinentia; floralia fere ſeſſilia, ovata, baſi rotundata integerrima, ſupra medium marginis dentata, acuta; ſumma ſæpius integerrima, acuminata. Flores ad V in ſingulis verticillis. Cal. piloſus. Cor. auriculis erectis, purpuraſcens. — Var. β. ſtatura majore differt; utraque corollis albis variat. — Var. γ. magnitudine ad α. accedit, ſed durior eſt longeque hirſutior.

22. T. *lucidum* foliis ovatis inciſo ſerratis glabris, verticillis dimidiatis, caulibus erectis lævibus. GERARD. *fl. gallopr. p. 278. n. 9. deſcr.* LINN. *ſyſt. nat. p. 388. ſp. pl. 790.*

Chamædrys alpina major et elatior, foliis profundius diſſectis. MORIS. *hiſt. p. 423. deſcr.* RAI. *hiſt. pl. 3. p. 282. d. ead.*

Chamædrys alpina fruteſcens, folio lucido ſplendente. TOURN. *inſt. 205.* MAGNOL. *h. monſp. p. 52. c. ic. æn.* RAI. *hiſt. 3. p. 282. d. ead.*

Teucrium regium, flore rubro. RIV. *monop. t. 20. an?*

H. in alpinis umbroſis Galloprovinciæ, Sabaudiæ valle Barſilionenſi, Perenne.

Digitized by Google

Radix ſtolonifera. Caules ſeſquipedales, erecti, glabri, purpurei, baſi ramoſi. Folia ovata, baſi acuta integerrima, a medio profunde inciſa ſegmentis ferratis, obtuſis, glabra (ſed microſcopium pilos crebros minutiſſimos detegit), nitida, ſubtus pallidiora, obtuſa; floralia ſuperiora obovata, tridentata atque integra. Verticilli longitudine fere foliorum, e floribus IV ad VIII compoſiti. Cal. glaber ore purpuraſcente. Cor. purpurea.

23. T. *flavum* foliis ovatis crenatis: floralibus integerrimis, verticillis dimidiatis in racemos digeſtis, caule fruticoſo pubeſcente.

Teucrium flavum. LINN. *ſp. pl. p. 791. n. 23.*

Teucrium. FVCHS. *Kraut. c. 322. f. 475.* BAVH. *pin. 247.* BAVH. *hiſt. 2. p. 290.* MATTHIOL. *comm. p. 817. fig.* RIV. *monop. t. 10. f. bon.*

Teucrium vulgare fruticans I. CLVS. *hiſt. 1. p. 348. fig. mal.*

Chamædrys fruticoſior, flore ochroleuco. MORIS. *hiſt. 3. p. 421. ſ. 11. t. 22. f. 1. med.*

β. Chamædrys fruticoſa cretica, purpureo flore. TOVRN. *inſt. 205.* BARR. *obſ. 318. ic. 896. med.*

Teucrium creticum. CLVS. *hiſt. 1. p. 348.*

Teucrium atticum molli lanugine incanum. PLVK. *phyt. t. 65. f. 2.*

H. in montoſis lapidoſis aſperis Carnioliæ auſtralioris, Italiæ, Galliæ auſtralis, Hiſpaniæ, Siciliæ, Melitæ, Græciæ, ad gr. 45. lat. Fl. poſt ſolſtitium, Iul. Aug.

Fruticulus ſeſquipedalis circiter. Caulis diffuſus, undique pubeſcens. Folia petiolata, ovata ſ. oblonga, baſi integerrima, inæqualiter crenata, utrinque pubeſcentia; floralia ſeſſilia, anguſtiora, concava, acuta. Verticilli numeroſi, florum II ad VIII. Cal. pubeſcens. Cor. ochroleuca, auriculis rectis, linearibus, truncatis, longitudine fere labii, virentibus, colore purpureo leviter tinctis, ſicut laciniæ laterales. Color corollæ in quibusdam ſpeciminibus, quæ ſimul folia habent paullo longiora ſeu oblonga, baſi magis transverſa, crenis numeroſis inciſa, acuta, magis ad flavum; in aliis, quorum folia ſunt rotundiora, baſi magis producta, parcius crenata, obtuſa, ad album potius inclinat. Cum hiſce convenit varietas ita, ut ſolo fere colore corollæ differre videatur.

Icon Fuchſiana, quam MATTHIOLVS, DODONAEVS, LOBELIVS, CAMERARIVS, DALECHAMPIVS imitati ſunt, ſtatu-

Digitized by Google

ram plantæ paullo minorem, foliaque rotundiora quam decet, ex his illa quæ flores muniunt, reliquis omnino fimilia, iftosque folitarios fiftit, quamobrem ad longe aliam plantam nobis incognitam, pertinere videri poffet. Non tamen eft quod dubitemus, FVCHSIVM ipfiffimum hoc teucrium delineare voluiffe. Neque enim ab ejus ævi pictoribus, omnes formæ minutias fcrupulofius obfervare infuetis, abfoluta femper iconum fimilitudo exfpectanda eft; neque alius plantæ, propius ad figuram iftam accedentis, veftigia reperiuntur; neque botanicos contemporaneos diverfam credidiffe ex omnium operibus intelligitur. Horum fuo ævo principem, CONR. GESNERVM, in eadem fuiffe fententia, exinde liquet, quod in fuo editionis Fuchfiani operis minoris exemplari, cujus iconibus quam plurimis, ligno expreffis, plantas easdem nativis coloribus fummo artificio adpingi curavit, teucrio FVCHSII figuram teucrii flavi adjecit, in qua præter unicum florem, extra ordinem collocatum, nihil omnino defiderari queat. Ceterum FVCHSII icon ad plantam nondum florentem delineata videtur, cui deinde flores, chamædryos potius quam hujus fpeciei, additos effe apparet.

24. T. *nitidum* foliis ovatis crenatis: floralibus integerrimis, verticillis dimidiatis racemofis, caule bifariam barbato.

H. in Mauritania. HEBENSTREIT.

Caulis fruticofus, glaber: utroque quod a foliorum commiffura defcendit latere denfe pilofo. Folia breviter petiolata, bafi integra, antice crenis obtufis margine reflexis incifa, glabra, nitida, nervo medio bafi barbata, obtufa, dura; floralia fere lanceolata, pilofiora quam præcedentis, ficut et calyces. Fl. minores quam iftius. Cor. purpurea auriculis minoribus, obtufis, non vero truncatis.

25. T. *regium* foliis ovatis antice dentatis: floralibus integerrimis feffilibus, verticillis racemofis, caule ramofo.

Teucrium regium purpureum. MORIS. *h. blef.*

Teucrium lucidum parvo folio, flore venu e purpureo. PLVK. *alm. p. 367. t. 365. f. 2.* MORIS. *hift. 3. p. 422. n. 5. d br. non fyn.*

H. in Hifpania.

Fruticulus fefquipedalis, diffufus, ramis pubefcentibus. Folia parva, petiolis brevibus infidentia, ovata, utrinque fupra medium marginis bi- f. tridentata, marginibus reflexis, fere concava, faturate

Digitized by Google

viridia, nitida (pilis breviſſimis denſe obſita, microſcopio tantum viſibilibus) ſubtus incana, acuta: floralia minora, longitudine calycum, ſeſſilia, integerrima. Verticilli contigui, florum IV circiter, in racemos digeſti. Fl. vix majores quam chamædryos. Cor. purpurea: auriculis linearibus elongatis, ad ſtaminum flexuram attingentibus, acutis. — Non eſt Piperella BARR. et BOCC.

26. T. *multiflorum* foliis ovalibus antice dentatis: floralibus integerrimis petiolatis, verticillis racemoſis, caule ramoſiſſimo.

Teucrium multiflorum. LINN. *ſp. pl. p. 788. n. 13.*

Chamædrys multiflora tenuifolia hiſpanica. TOURN. *inſt. p. 205.*

β. Chamædrys hiſpanica tenuifolia, latiori folio, multiflora. H. R. Par. BOERH. *lugdb. 1. p. 182. n. 7.*

H. in Hiſpania. Perenne.

Præcedenti admodum ſimile, ſed humilius, ramoſius, ramis filiformibus, incanis; foliis longe minoribus, rhombeis, (inſtar ſequentis, ſed angulis lateralibus rotundatis) baſi apiceque acutis, apicem verſus utrinque tri- ſ. bidentatis, planis, non nitidis, floralibus etiam petiolatis, calycis longitudinem non attingentibus. Flores minores, magnitudine mari. Verticilli diſſiti, florum circiter IV. Cor. purpurea: auriculis lanceolatis, brevibus.

27. T. *quadratulum* foliis ovato rhombeis dentatis ſubtus niveis, verticillis racemoſis.

Chamædrys hiſpanica minima ſaxatilis incana. TOURN. *inſt. 205.* RAI. *hiſt. 3. p. 282. d. 6r*

H. in Hiſpania. Perenne.

Caulis vix ſpithamæus, erectus, baſi ramoſus, fere teres, tomento niveus. Folia mari, ſed latiora, breviſſime petiolata, rhomboide, baſi integerrima, ab angulo laterali ad apicem dentibus quatuor ſ. quinque inciſa, margine reflexa, ſupra nitida, (pilis breviſſimis microſcopio tantum diſcernendis obſita) baſi apiceque acuta; floralia ovata, concava, apice dentata, pubeſcentia. Racemus brevis. Flores mari, breviſſime pedunculati. Cal. pubeſcens. Cor. purpurea.

28. T. *Marum* foliis ovatis integerrimis ſubtus incanis, floribus racemoſis oppoſitis. LINN. *ſyſt. 387. ſp. pl. p. 788. n. 12.*

Digitized by Google

Chamædrys maritima incana fruteſcens, foliis lanceolatis. TOVRN. *inſt. p. 205.*

Majorana ſyriaca ſ. Marum ſyriacum. BOSSE *ic. reg. n. 227. f. ſpl.*

Marum Cortuſi. BAVH. *hiſt. 3. p. 242.* MORIS. *hiſt. 3. p. 420. ſ. 11. t. 18. f. lat. ben. ſed male floribus inverſis.* RIV. *monop. t. 23.* BLACKW. *herb. t. 47.* GEOFFR. *mat. med. 3. p. 821.* GARSAVLT. *ic. 366.*

β. Chamædrys cretica ſaxatilis tenuifolia, foliis ſubtus incanis. TOVRN. *cor. p. 14.*

H. in regno Valentino; in inſula Pomponia prope Maſſiliam. Fl. Iul. Aug.

Caulis erectus fruticuloſus rigidus incanus. Folia minuta, petiolata, margine reflexo, rarius dente uno alterove in vetuſtioribus caulibus inciſa, ſupra ſæpius pilis lente tantum videndis conſperſa. Racemi digitales unilaterales. Cal. villoſi. Cor. dilute purpurea. Hujus varietas odoris expers, calycibus minus villoſis in herbario GVNDELSHEIMERI eſt; β. differt omnibus partibus minoribus; ſimile, vulgari maro quadruplo fere minus, perill. SCHMIDELIO debeo, in horto botanico Amſtelodamenſi lectum.

29. T. *Scordium* foliis oblongis ſeſſilibus dentatis nudiuſculis, floribus axillaribus pedunculatis geminis, caule diffuſo pubeſcente. LINN. *ſp. pl. p. 790.*

Scordium. FVCHS. *Kræuterb. f. 444.* MATTH. *comm. p. 842.* LOB. *hiſt. p. 261. f. bon. ic. 497. ead.* CAMER. *epit. p. 588. f. med.* BAVH. *pin. 247.* BAVH. *hiſt. 3. p. 292.* RAI. *hiſt. 576.* RIV. *monop. t. 21. bon.* BLACKW. *herb. t. 475.* GARS. *ic. 530.*

H. in pratis uliginoſis, foſſis humidis Europæ uſque ad gr. 58. lat. Perenne.

Caulis pubeſcens, inferne glabrior, ſtolonifer. Folia oblonga, baſi anguſtiora rotundata, tenuiſſime pubeſcentia. Flores plerumque IIII in ſingulis verticillis, folio triplo breviores. Cal. villoſus. Cor. purpuraſcens.

30. T. *Scordioides* foliis oblongis cordatis amplexicaulibus crenatis lanuginoſis, floribus axillaribus pedunculatis geminis.

Chamædrys cretica paluſtris caneſcens ſcordioides, betonicæ folio. TOVRN. *cor. p. 14.*

Scordium lanuginoſum. BAVH. *pin. 247.*

H. in Creta. Perenne.

Digitized by Google

Caulis lanatus; præcedente altior. Folia rugosa, minus profunde crenata, lanugine candida obducta: ramea minora. Flores majores.

*** SCORODONIA RAI.

31. T. *asiaticum* foliis lanceolatis repando serratis basi rectangulis, floribus solitariis. LINN. *mantiss. p. 80. descr.*

Habitat in India orientali?

Caulis erectus. Folia petiolata, acute crenata, rugosa, subtus venoso reticulata, subtomentosa. Flores axillares, breviter pedunculati, secundi. Cal. mucronatus. Cor. alba, ad rubedinem declinans, auriculis destituta. Stam. brevia pilosa.

32. T. *spinosum* ramulis spinescentibus, corollis resupinatis, pedunculis axillaribus geminis.

Teucrium spinosum. LINN. *sp. pl. 793.* LOEFL. *it. hisp. p. 147. descr.* et Teucrium mucronatum. LINN. *l. c.*

Chamædrys spinosa. BAUH. *pin. 248. prodr. 117. c. f.* MATTHIOL. *comm.* (ed. Bauh.) *598. c. ic. lign.* MORIS. *hist. 3. f. 11. t. 22. f. 17. ex Bauhino.*

Chamædrys multifida spinosa odorata. GRISL. *hist. 28.* TOURN. *inst. 205.* BARR. *obs. 319. ic. 202. ex* CORNUTI *canad. 123.*

H. in collibus, arvis incultis Lusitaniæ, Hispaniæ circa Madritum. Annuum. Fl. Iun. Aug.

Caulis brachiatus, subviscidus, spinis axillaribus solitariis, in ramos tandem excrescentibus. Folia mollia; caulina inferiora petiolata, oblonga, incisa s. pinnatifida; superiora, sub spinis, ovata, incisuris utrinque duabus prope basin, aut integerrima. Pedunculi II axillares, singulæ spinæ singuli ad latus adfixi, cum bracteola oblonga. Cor. albicans. — Ab hac specie *Teucrium mucronatum* LINN. *sp. pl. p. 793. n. 31.* non est separandum. Vid. EIVSD. *mantiss. alt. p. 409.*

33. T. *Salviastrum* foliis ovalibus crenulatis rugosis subtus tomentosis petiolatis, racemo secundo.

Chamædrys fruticosa lusitanica, melissæ folio *(male)* minori, flore purpureo. TOURN. *inst. p. 205.*

H. in Lusitania. Perenne.

Digitized by Google

Radix lignoſa. Caulis erectus, pubeſcens, ſubviſcidus. Folia inæqualiter crenulata, baſi apiceque rotundata, venulis denſe reticulata, ſupra villo breviſſimo ſericeo cana, ſubtus albida, petiolis brevibus inſidentia, ſalviæ foliis ſimilia, ſed minora; floralia pariter petiolata, lanceolata, acuta, inferiora ſerrata longitudine foliorum, ſuperiora minuta, integerrima. Racemus brevis; pedunculi calyce paullo breviores, pubeſcentes. Flores nihilo minores quam ſcorodoniæ. Cal. piloſus, ſemiquinquefidus: dentibus lanceolatis fere æqualibus, ſummo paullo latiore. Cor. externe villoſa, tubo longitudine calycis. Stam. curva.

34. T. *maſſilienſe* foliis ovatis rugoſis inciſo crenatis incanis baſi rectangulis, racemis rectis ſecundis. LINN. *ſyſt. p. 388. ſp. pl. p. 789. n 19. deſcr. non ſyn.*

Teucrium foliis ovatis crenatis, floribus racemoſis, ſtaminibus corolla brevioribus. GERARD. *fl. gallopr. p. 277. t. 11. bon.*

Chamædrys fruticoſa inſularum ſtœchadum, meliſſæ folio minore, pomum redolens. TOURN. *inſt. p. 205.* GARID. *aquif. 98.*

H. in maritimis Galloprovinciæ et inſularum ſtœchadum. Suffrutex.

Caulis erectus, incanus, vix pedalis. Folia parva, petiolis mediocribus inſidentia, ovata, fere cordata, inæqualiter crenata, obtuſa; ſummæ oblonga; floralia minuta, ovata, acuta. Racemi breves. Cor. purpuraſcens. — Ab hac, quantum videre potui, non differt *Chamædrys cretica latiſſimo folio parvo flore.* TOURN. *cor. p. 14.*

35. T. *Scorodonia* foliis cordatis ſerratis petiolatis, racemis lateralibus ſecundis, caule erecto. LINN. *ſp. pl. p 789.*

Chamædrys foliis cordatis productis, ſpicis longiſſimis nudis heteromallis. HALL. *hiſt. 1. n. 126.*

Chamædrys elatior ſalviæ folio, flore ochroleuco. MORIS. *hiſt. 3. p. 423. ſ. 11. t. 20. f. 15. med.*

Scordium alterum ſ. ſalvia ſylveſtris. BAUH. *pin. 247.*

Scordotis ſ. ſcordium folio ſalviæ. BAUH. *hiſt. 3. p. 292. deſcr.* RAI. *hiſt. 1. p. 571. d. ead.*

Scordium alterum Plinii. LOB. *hiſt. p. 262. fig. med. ic. 497. ead.* majus. GESN. *op. 1. p. 121. t. 100. lign.*

Scorodonia. RIV. *monop. t. 22.* GARS. *ic. 531.* BLACKW. *herb. t. 9.*

Digitized by Google

β. Scordium. CORD. *hiſt. p.91. ic. med.* Plinii minus. GESN. *op. 1. p. 128. t. 85. an. b.*

H. in pratis, ſepibus Germaniæ, Belgii, Angliæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Helvetiæ, Italiæ rel. uſque ad gr. 51 ½. lat. Perenne.

Caulis bipedalis, erectus vel declinatus, villoſus, ſub terra ſtolonifer. Folia cordata, ovata, acute ſerrata, ex atro virentia, rugoſa, pilis breviſſimis obſita fereque glabra, acuta; floralia minuta, ſubrotunda, integerrima, utrinque acuta, apice in mucronem deſinente. Racemi ſpithamæi, adſcendentes, laxi, baſi nudi. Pedunculi breviſſimi. Cor. ochroleucæ, tubo longo. Stam. recta, poſt antheſin reflexa, purpuraſcentia. — Varietas, in Saxonia paſſim frequens, in eo differt, quod aliquanto piloſior ſit, caule ſeſquipedali, foliis minoribus, (lamii lutei) baſi profundius exfectis, ſeu longioribus et anguſtioribus, (menthaſtri RIV.) inæqualiter ſerratis, rugoſis, læte viridibus; floralibus ovatis; racemis minoribus, digitalibus; floribus minoribus.

36. T. *hyrcanum* foliis cordatis oblongis ſerratis obtuſis, caule brachiato dichotomo, racemis longiſſimis terminalibus ſeſſilibus. LINN. *ſp. pl. 789.*

Teucrium foliis cordatis crenatis petiolatis, ſpicis oblongis denſiſſimis. HALL. *comm. Gotting. 2. p.345. t.13. opt.* ARDVIN. *ſpec. 1. p.13. t.4.*

H. in nemoribus Hyrcaniæ (nunc *Ghilaniæ*, provinciæ Perſiæ). Perenne.

Caulis diffuſus. Folia petiolata, (betonicæ) mollia, rugoſa, ſubtus pubeſcentia, atro viridia. Racemi denſiſſimi, pubeſcentes. Flores alterni. Folia floralia ſolitaria, linearia, canaliculata, acuminata, adſcendentia, longitudine calycum. Pedunculi calyce breviores, erecti. Cal. labium ſuperius latius, cordatum, acuminatum; dentes duo laterales verticales rotundati, breviores; duo infimi recti, patuli, approximati, acuti. Cor. purpurea; tubus calyce vix longior; auriculæ divergentes; labii lacinia media crenulata ſubtriloba.

37. T. *Arduini* foliis ovatis ſerratis, racemo ſpicato tereti ſeſſili terminali. LINN. *mantiſſ. 81. ſyſt. 388.* ARDVIN. *ſpec. 1. p. 12. t. 3.*

H.

Caulis pedalis erectus pubeſcens. Folia nitida, pubeſcentia, acutiuſcula, breviſſime petiolata. Racemus brevior quam prioris, denſus.

Flo.

Digitized by Google

Flores alterni. Folia floralia linearia acuta, longitudine fere florum. Cal. fere ut in priori. Cor. flava, auriculis erectis.

38. T. *virginicum* foliis ovatis inæqualiter ferratis, racemo laxo terminali. LINN. *ſp. pl. 389. n. 17.* GRON. *virg. ed. 2. p. 88.*

Teucrium virginianum meliſſophyllum, floribus cæruleis. PLVK. *alm. 363. t. 318. f. 1. ſed male flores bilabiatos fecit piſtor.* RAI. *hiſt. 3. p. 281. n. 13.*

Chamædrys canadenſis urticæ folio ſubtus incano. TOVRN. *inſt. p. 205.*

Scorodonia flore rubente, foliis urticæ profunde ferratis, pediculis longis inſidentibus. CLAYT. *ap.* GRONOV. *l. c.*

H. in Virginia, Canada. Perenne.

Caules erecti, rubentes, pilis canis pubeſcentes, ſub terra ſtoloniferi. Folia oblonge ovata, baſi inæqualia, acute ſerrata, ſubtus pubeſcentia, acuta. Petioli foliis breviores. Racemi laxi, fere ſeſſiles. Flores alterni. Folia floralia lineari lanceolata, acuminata: infima reliquis multo majora, lanceolata, ſerrata. Cal. brevis, pubeſcens: dentibus tribus ſuperioribus latioribus, triangularibus, obtuſis; inferioribus duobus anguſtis, acuminatis. Cor. majuſcula, rubra.

39. T. *canadenſe* foliis ovato lanceolatis ſerratis, caule erecto, racemo tereti terminali, verticillis hexaphyllis. LINN. *ſp. pl. p. 787. ſyſt. nat. p. 388.* GRONOV. *fl virg. 2. p. 88.*

Scorodonia flore rubente, foliis longis rugoſis, forma ſalviæ ſimilibus, ſubtus incanis, odore allii præditis, radice reptatrice. CLAYT. *ap.* GRONOV. *l. c.*

H. in Canada. Perenne.

Folia quam præcedentis anguſtiora, ſubtus tomentoſa; floralia minima. Racemi longi, floribus ſparſis fere verticillatis, quales in planta potiſſimum culta perill. *a* LINNÆO obſervavit. Cor. rubra.

**** POLIVM T.

40. T. *pyrenaicum* corymbis terminalibus, foliis cuneiformi orbiculatis crenatis piloſis. LINN. *ſp. pl. 791. n. 26. excluſo ſyn. Barrelieri.*

Polium pyrenaicum ſupinum, hederæ terreſtris folio. TOVRN. *inſt. 206. non ſyn.* RAI. *hiſt. 3. p. 280. d. br.*

H. in Gallia Narbonenſi, proxime Pyrenæos. Perenne. Fl. æſtate.

Digitized by Google

Radix lignoſa. Caules flexuoſi, baſi lignoſi teretes, pilis longis denſis albis tecti, ramoſi. Folia breviſſime petiolata, baſi productiore integerrima acuta, ambitu ſemicirculari æqualiter crenato, plana, venoſa, utrinque pilis ſimilibus atque caules, hirſuta, ſed rarioribus, in inferiore pagina nervis potiſſimum adhærentibus. Corymbi ſeſſiles, ſubrotundi, denſi. Fol. floralia linearia, vix calyce longiora. Flores magni. Cal. pentagonus, piloſus, acuminatus. Cor. alba, auriculis purpuraſcentibus. — Variat, teſte cl. HILLIO, floribus albis; quæ varietas forte eſt Chamædrys pyrenaica repens flore conglomerato albo, foliis rotundioribus. *Schol. bot.* MORIS. *hiſt. 3. p. 423.* RAI. *hiſt. 3. p. 282.*

41. T. *rotundifolium* corymbis terminalibus, foliis ſubrotundis crenatis villoſis.

Polium hiſpanicum chamædryos folio, purpuraſcente flore. TOURN. *inſt. 206.*

Polium ſaxatile chamædryoides, rotundiore folio, ſupinum rubrum. BARR. *obſ. 346. ic. 1095. bon.* BOCC. *muſ. 2. p. 76. t. 62. ead.* MORIS. *hiſt. 3. p. 356. ſ. 11. t. 4. f. 13. ead.*

H. in rupibus altiſſimorum regni Valentini montium. Fl. Iunio.

Caulis decumbens, aut e rupibus pendens, flexuoſus, tenuis, teres, villo molli albo denſe obductus, in ramos breves diviſus. Folia minora quam præcedentis, baſi in reniformium modum leviter exciſa, integerrima, reliquo ambitu fere orbiculato, profunde obtuſeque crenato, margine reflexo; pagina ſuperiore viridi, villo molli cano tecta, qualis etiam inferiorem veſtit, ſed denſior, longior, venis potiſſimum adhærens earumque interſtitia replens. Petioli foliis paullo breviores, villoſi. Corymbi ſubrotundi, pauciflori. Fol. floralia lanceolata, ſuperne nuda, obtuſa, calyce breviora, longiuſcule petiolata. Cal. angulatus ſtriis X, villoſus, acuminatus. Cor. calyce duplo longior. — Figura Barrelieri folia juſto paullo longiora exhibet; quæ ſeparatim addidit, accuratiora ſunt.

42. T. *buxifolium* corymbis terminalibus, foliis ovalibus rugoſis apice crenatis villoſis.

Polium ſaxatile purpureum chamædryoides, ampla coma. BARR. *obſ. 345. ic. 1086.* BOCC. *muſ. 2. p. 75. t. 61.*

H. in rupibus regni Valentini. Suffrutex.

Digitized by Google

Rad. lignoſa. Caules flexuoſi, teretes, villo denſo niveo tecti. Folia ovalia, ſupra medium marginis crenis circiter tribus, margine reflexis, inciſa, pagina adverſa convexa, venis depreſſis, utrinque circiter tribus, rugoſa, villo cano, in averſa albo, tecta, obtuſa; inferiora in quocumque ramo minora. Petioli breviſſimi, villoſi, albi. Corymbi ſubrotundi, denſi, multiflori; ſolitarii ſ. terni; flores imbricati, patuli. Fol. floralia lanceolata, verſus apicem latiora, integerrima, utrinque piloſa, obtuſa, longitudine florum. Cal. piloſus, magnitudine T. montani. Cor. parva.

43. T. *aureum* corymbis terminalibus piloſis, foliis ovatis ſerratis caulibusque denſe lanatis, ſummitatibus luteis nitidis.

Polium montanum luteum. BAUH. *pin. p. 220.* TOURN. *inſt. p. 206.* RAI. *hiſt. 1. p. 525.* BARR. *obſ. 320. ic. 1082. e Cluſio.* MORIS. *hiſt. 3. p. 455. ſ. 11. t. 2. f. 1.* GARS. *ic. 462.*

Polium montanum III flavo flore. CLUS. *hiſt. 1. p. 361. f. 3. med.*

Polium luteum. LOB. *hiſt. p. 257. fig. ic. 488. ead.*

Polium majus. RIV. *monop. t. 25. bon.*

H. in Hiſpania, Gallia auſtrali, Syria. Suffrutex. Fl. Iun.

Plantæ perpulchræ caules primo erecti, tum procumbentes ramis erectis, flexuoſi, teretes, tomento candido denſo, lanam goſſypinam referente, veſtiti. Folia ſeſſilia, ovata (ſed novella lanceolata), apicem verſus crenata, baſi integerrima, inferiorum (et in ramis ſterilibus) anguſtiore acuta, ſuperiorum latiore quam pars crenata, ſimulque rotundata. Summitates ramorum ſterilium in planta adulta, foliorum floralium calycumque, aureo nitore pilorum, præſertim ad ſolem, ſplendent. Corymbi ſolitarii, rarius ternati, terminales, ovati ſ. oblongi. Fol. floralia longitudine fere florum, linearia, integerrima, piloſa, obtuſa. Flores patentes, breviſſime pedicellati. Cal. obſcure pentagonus, pilis hiſpidus parum vel nihil tortis, acuminatus. Flores lutei. — Non cultu, ut CLUSIUS vult, ſed in umbra interdum aureo colore depoſito caneſcit, ita tamen ut apices ejus veſtigia conſervent. — Folia latiora ſunt, quam plerisque ſubſequentibus poliis, et nonnumquam fere ſubrotunda, quem ſtatum BARRELIERI *icon 1088.* exhibere videtur; in quibusdam ſpeciminibus tamen paullo anguſtiora obſervavi, quæ IDEM *icone 1089.* forſitan exprimere voluit; immo fere linearia, *iconi* EIUSDEM *1073.* non diſſimilia.

Digitized by Google

44. T. *flaveſcens* capitulis ſubrotundis foliisque lineari-lanceolatis antice crenatis tomentoſis, ſummitatibus flavis.

Polium anguſtifolium. MILL. *dict. n. 3?*

Polium montanum luteum daſyphyllum ſerratum. BARR. *obſ. 321. ic. 1073.*

H. in Gallia auſtrali.

Cum T. aureo confundi ſolet, quocum ſtatura, candore lanæ caulis foliorumque æque delicatæ, foliisque crenatis, baſi integra anguſtiore, in ramis floriferis latiore convenit: ſed differt foliis anguſtioribus, lanceatis, (novellis linearibus) capitulis parvis paucifloris, calyce breviore, tomento denſo, non pilis, veſtito, non angulato neque carinato; ſummitatibus non aureis, ſed eleganter ſulphureis. Capitula tantum terna in apice caulium conglobata vidi; BARRELIERVS plura pingit lateralia; non tamen aliam ſpeciem delineare videtur.

45. T. *Achæmenis* corymbis denſis, foliis inverſe lanceolatis antice crenatis tomentoſis, incanis, floralibus flore longioribus.

Polium maritimum ſupinum venetum. BAUH. *pin. 221.* BAUH. *hiſt. 3. p. 300. ic. m.* MORIS. *hiſt. 3. ſ. 11. t. 2. f. 12.* TOURN. *inſt. 206.*

H. in littore maris Adriatici. Perenne.

Caulis tomentoſus, albus. Folia lanceolata, baſi anguſtiore acuta, margine integerrima, ambitu apicem verſus oblongo crenato, tomento tenui caneſcente, ſubtus denſiori albo tecta, coriacea, rugoſa, obtuſa; floralia petiolata, fere elliptica, obſcure crenata, ſuperiora integerrima. Corymbi terminales, nonnumquam etiam laterales, breves, baſi laxiores. Cal. angulatus, tomento brevi candidus, acutus. Cor. brevis, purpurea, acuta.

Cum hoc C. BAUHINUS *Polium V.* CLUSII *hiſt. p. 362.*, *Zamarilla* dictum, conjungit; in cujus ſpeciminibus quibusdam cultis, mihi viſis, caules obſervavi decumbentes, lanuginoſos; folia oblonga, baſi rotundata, ad medium marginis integerrima, inde ad apicem crenis aliquot obtuſis dentata, rugoſa, viridia, utrinque lanugine rara albicantia. obtuſa, magnitudine et figura ad illud, quod *hyſſopo* ſuo *apulo* COLUMNA adjecit, proxime accedentia; floralia ſimilia, tridentata et integerrima, floribus longiora. Corymbi oblongi, laxi, a quibus quaſi avulſi flores infimi alis ſummorum foliorum adhærent. Sub corymbo primario egrediuntur rami folioſi altiores, ſimiliter corymbiferi. Vtrum hæc cul-

Digitized by Google

turæ ope ex ſpecie ſupra deſcripta orta, an potius diverſa ſit ſpecies, in medio relinquere cogor.

46. T. *Pſeudhyſſopus* capitulis rotundatis laxis, foliis oblongis antice crenatis tomentoſis incanis, caule lanato corymbifero.

Polium montanum incanum etc. MICH. *hort. flor. p. 75. n. 2.*

Hyſſopus apulus Dioſcoridis et Serapionis. COLVMN. *ecphr. 1. p. 59. t. 67. bon*

H. in montibus aridis apricis Italiæ, Cretæ. Suffrutex.

Caulis dodrantalis, baſi procumbens ramoſusque, tum erectus, lana albicante laxa tectus. Folia ſeſſilia e lanceolato oblonga, baſi integerrima, ad apicem uſque frequenter rotundeque crenata, utrinque tomento brevi laxo incana, obtuſa. Rami floriferi a medio caulis elongati, folioſi, ſæpius trifidi, ſimul corymbum compoſitum exhibent. Capitula rotundata laxa; flores horizontales, pedicellis breviſſimis. Folia floralia ovata, longitudine calycis. Cal. magnitudine ſeminis triticei, angulatus, tomento laxiore albo veſtitus, quod denticulos primo adſpectu obtuſiſſimos exhibet, etſi acuti ſint. Cor. alba, macula lutea in fauce. — In calyce nonnumquam nidulantur larvæ inſectorum, unde intumeſcunt et baccas æmulantur, obſervante COLVMNA; quales etiam in T. Teuthrio occurrunt.

Polium hiſpanicum maritimum, rosmarini folio, albo flore. TOVRN. *inſt. 206.* characteribus primariis cum iſto convenit, facie vero differt; an diſtincta ſpecies? Tenerius eſt, caule tomento brevi albicante veſtito. Folia ſeſſilia, lanceolata, ex anguſta baſi ſurſum dilatata, apice crenis utrinque II ſeu III rotundatis inciſa, tomento raro, prona parte paullo denſiori caneſcente tecta; ramea et axillaria minora, fere linearia; floralia lanceolata, longitudine calycis. Rami a medio caule floriferi, elongati, inferiores folioſi, ſuperiores ſæpe trifidi. Capitula minora, ſubrotunda, e floribus perpaucis compoſita, quorum infimum par florum remotius, longius pedunculatum, horizontaliter patet. Flores vix minores. Cal. angulatus, denſius tomentoſus, præſertim ore, albicans. Cor. parva. Non male refert iconem BARRELIERI *1079*, ſed folia huic paullo alia ſunt, forte minus accurate delineata.

Digitized by Google

47. T. *Teuthrion* capitulis ſubrotundis breviter pedunculatis, foliis lanceolatis crenatis tomentoſis incanis, caule decumbente.

Polium montanum I. CLVS. *hiſt. 1. p. 361. fig. mal.* LOB. *hiſt. 257. fig. ead. ic. 486. ead.*

Polium montanum album. BAUH. *pin. 221.*

Polium montanum album ſerratifolium latifolium ſupinum majus. BARR. *obſ. 326. ic. 1074.*

β. Polium montanum album ſerratum latifolium ſupinum minus. BARR. *obſ. 329. f. 1078.*

H. in Creta, Italia, Gallia Narbonenſi, Hiſpania.

Caulis tomentoſus, foliis paullo albidior. Folia elliptica, lanceolata ſeu e lanceolato linearia, crenis aliquot a medio ad apicem inciſa, tomento brevi incana, obtuſa; axillaria anguſtiora. Capitula ſolitaria ſive ternata terminalia, ſæpe etiam plura ex alis paullo inferioribus, pedunculis brevibus (folio vix longioribus) inſidentia, compacta, foliis magis albicantia. Flos fere T. Pſeudhyſſopi, cui perſimile eſt, ſed pedunculis capitulorum non elongatis differt. *Teucrium creticum maritimum humifuſum* TOURN. *cor. p. 14.* ad varietates latifolias hujus ſpeciei pertinet, quantum ex ſpeciminibus ejus ſiccis cognovi, quibus præcipue plura erant capitula lateralia, et tomentum undique denſiſſimum.

48. T. *valentinum* capitulis ſubrotundis breviter pedunculatis, foliis linearibus crenatis, caule erecto incano.

Polium valentinum fruticoſum anguſtifolium, flore albo. BARR. *obſ. 331. ic. 1048.*

H. in regno Valentino. Perenne.

Simile T. Teuthrio, a quo differt caule tenuiore erecto, foliis nihilo quidem brevioribus, ſed peranguſtis, obſolete crenatis, tomento pertenui, in pagina averſa paullo denſiori, incano, tectis, obtuſis; capitulis numeroſis minoribus, incanis, ramulis ſubæqualibus foliоſis inſidentibus; floribus minoribus. Folia floralia calycem æquant. Cal. tomento tenui albicante tectus, ore obtuſo denſius tomentoſo.

Digitized by Google

49. T. *Belion* capitulis ſubrotundis breviter pedunculatis, foliis lanceolatis crenatis tomentoſis niveis, caule erecto.

Teucrium capitatum. LINN. *ſp. pl. p. 792. cum præcedente.*

Polium maritimum erectum monſpeliacum. BAUH. *pin. 221.* TOURNEF. *inſt. 206.*

Polium monſpeſſulanum. BAUH. *hiſt. 3. p. 299. ic. m.*

Polium marinum. GESN. *op. 1. p. 121. t. 107. lign. bon.*

Polium daſyphyllum gnaphalodes flore albo. BARR. *obſ. 324. ic. 1047. m.*

Polium I. MATTHIOL. *comm. p. 840.*

H. in Galliæ Narbonenſis, Italiæ, Hiſpaniæ, Mauritaniæ maritimis.

Caulis ramoſus, tomento denſo niveo tectus. Folia coriacea, lanceolata, crenis rotundatis minus profunde inciſa, a medio fere ad baſin integerrima, obtuſa, rugoſa, adverſa facie viridia tomento raro conſperſa, averſa nivea. Folia floralia calycibus nihilo longiora. Capitula in ſummitate caulis, breviter pedunculata, ſubrotunda, denſa. Cal. tomento niveo tectus. Cor. alba. — A T. Teuthrio, quocum plerumque conjungitur, propter colorem tomenti niveum, potiſſimum in caule atque inferiore foliorum ſuperficie conſpicuum, ſtaturam altiorem faciemque nonnihil diverſum ſeparandum eſſe videtur. Cultura quidem, quod IO. BAUHINUS obſervavit, colorem quodammodo immutare valet; quippe cujus adminiculo tomentum rareſcere videmus. Numquam tamen plane deſtruitur, neque in canum ſeu griſeum præcedentis colorem tranſit candor, quem prona foliorum facies, ſecus ac in illo, præ altera conſervat. — Cum hoc noſtro idem eſſe nequit polium maritimum monſpeliacum cl. GOVANI *hort. monſp. p. 270.* foliis integerrimis anguſtiſſimis ab eo nimis recedens, quam ut pro ejus varietate haberi poſſit.

50. T. *luſitanicum* capitulis laxis, foliis linearibus obtuſis crenulatis incanis, caule pubeſcente corymbifero.

Polium luſitanicum ſupinum minus incanum, caulibus purpuraſcentibus, flore albo. TOURN. *inſt. 206.*

H. in Luſitania. Perenne.

Rad. lignoſa. Caulis adſcendens, tomento albido raro veſtitus. Folia longa, baſi anguſtiora, a medio marginis crenis parvis nonnihil reflexis inciſa, rugoſa, viridia, tomento tenui caneſcentia, prona parte magis incana, obtuſa; ſumma reliquis breviora duploque latiora. Capitula ſub-

Digitized by Google

rotunda, basi laxa, pauciflora in summitate caulis, ramis varie elongatis apice trifidis insident. Fol. floralia calyce longiora. Flores erecti, inferiores patuli. Cal. angulatus, dense tomentosus, e cano virescens, a tomento obtusus. Cor. alba. T. Pseudhyssopo majus est, viridius, floribusque majoribus, T. aurei flores æquantibus. Folia nonnumquam terna.

51. T. *pycnophyllum* capitulis subrotundis, foliis linearibus revolutis antice crenatis confertis, cauleque dense tomentosis.

Polium surrectum majus angustifolium serratum incanum tomentosum. BARR. *obs. 332. ic. 1096.*

Polium montanum album angustifolium serratum supinum minus. BARR. *obs. 330. ic. 1091.*

H. in Hispania.

Tota planta tomento albo densissimo, quasi stupa chartacea, tecta. Caulis spithamæus, basi procumbens, ramis adscendentibus (ut in utraque BARRELIERI figura); ramulis perbrevibus dense foliosis, ex axillis undique erumpentibus. Folia linearia, margine revoluta, ad apicem crenis aliquot obsoletis incisa, obtusa. Capitula terminale lateraliaque parva, subrotunda, pedunculis mediocribus insidentia. Folia floralia ovata, obtusa. Cal. minutus, tomentosus. Cor. alba.

52. T. *Libanitis* spicis subrotundis, foliis confertis linearibus revolutis, integerrimis cauleque tomentosis.

Polium montanum majus erectum rosmarini folio, flore rubro. BARR. *obs. 335. ic. 1090.*

H. in Hispania. Suffrutex.

Caulis erectus. Folia admodum conferta, imbricata, terna in nostro specimine (sicut in figura BARRELIERI), rosmarini foliis similia, sed breviora, crassa, tomento denso albo utrinque, sicut caulis, tecta. Spicæ densissimæ, terminales. Cal. tomentosus, dentibus modice acutis. Cor. rubra.

53. T. *pumilum* capitulis sessilibus terminalibus, foliis linearibus integerrimis quadrifariis confertis, caule procumbente tomentoso. LINN. *amœn. acad. 4. p. 276. descr. sp. pl. 792.*

Polium montanum pumilum rubrum viride, stœchados folio, caule tomentoso.

BAR-

Digitized by Google

BARREL. *obſ. 336. ic. 1092.* MORISON. *hiſt. 3. ſ. 11. t. 4. f. 23. ead.*

β. Polium montanum pumilum, anguſto viridique folio, caule incano. BARR. *obſ. 337. ic. 1093.* MORIS. *l. c. f. 24.*

H. in regno Valentino. Suffrutex.

Caulis tomento denſiore vel (in β) rariore tectus. Folia conferta, peranguſta, læte viridia, averſa facie caneſcentia, margine reflexa, obtuſa. Capitula tomentoſa. Fl. carnei.

54. T. *anguſtiſſimum* capitulis terminalibus piloſis, foliis linearibus integerrimis ſubnudis, caule erecto.

Polium montanum album non ſerratum, longis anguſtisque foliis caneſcentibus. BARR. *obſ. 333. ic. 1080. bona.*

H. in Hiſpania. Suffrutex.

Caulis digitalis, baſi flexuoſus, filiformis, tomento denſo albus. Folia omnium anguſtiſſima, fere filiformia, margine revoluta, linea per longitudinem inſculpta diviſa, vix pubeſcentia, nervo medio ſubtus tomentoſo, obtuſa, longitudine internodiorum; inferiora minora, confertiora. Capitula ſolitaria, parva, ſubrotunda, e ternis conglomerata, denſa. Folia floralia ovalia, calyce breviora, rarius piloſa. Cal. viridis, pilis rarioribus rectis conſperſus, acutus, ore barbatus. Cor. vix calyce longior, alba.

55. T. *cæleſte* capitulis terminalibus tomentoſis, foliis linearibus integerrimis incanis, caule erecto.

Polium montanum album non ſerratum viride, longis anguſtisque foliis, caule incano. BARR. *obſ. 334. ic. 1081. bon.*

H. in præcelſis montibus regni Valentini, præcipue ad carthuſiam porta cæli dictam. BARREL.

In multis cum priori et T. valentino convenit; ab utroque tamen ſatis diverſum eſt. Caulis æque tenuis, tomento candicans. Folia, ſicut in hoc, linearia, revoluta, obtuſa, tomento pertenui, ſubtus denſiore, incana, breviora tamen, latiora ac præcedenti, integerrima cum aliquibus tantum crenarum veſtigiis. Capitula in ſummitate ramorum, ſolitaria ſeu terna, quorum lateralia minora pedunculis brevibus horizontalibus non folioſis inſident. Folia floralia inverſe lanceata aut linearia,

Digitized by Google

ſicut T. valentino, non ovata T. anguſtiſſimi, obtuſa, tomentoſa. Flos minor quam antecedentis. Cal. viridis, magis, ſed laxius, tomentoſus quam T. anguſtiſſimo, ore tomento repleto, dentibus triangularibus acutis, neque, T. valentini modo, lanceatis obtuſis. Cor. parva, alba.

56. T. *thymifolium* capitulis terminalibus paucifloris, foliis petiolatis ovatis obtuſis ſubtus tomentoſis, caule procumbente.

Polium ſaxatile minimum thymi folio, carneo flore. BARR. *obſ. 344. ic. 1062. bon.*

H. in regno Valentino. Suffrutex.

Caulis digitalis, procumbens, tomento albo obductus, ramoſus. Folia conferta, ovata, vel ex ovato lanceolata, incana, ſubtus tomentoſa alba, margine reflexa ac paſſim obſolete crenata, obtuſa, parva. Petioli breviſſimi. Flores IIII ſ. V terminales, erecti, ſeſſiles. Cal. lævis incanus, mucronatus. Cor. purpurea. — Polium ſerpillifolium BARR. *obſ. 343. ic. 1087.* vix differre videtur, etſi paullo majus ſit.

57. T. *montanum* corymbis terminalibus glabris, foliis petiolatis ellipticis margine revolutis ſubtus tomentoſis, caule procumbente.

Chamædrys foliis ellipticis integerrimis contractis ſubtus incanis, floribus capitatis. HALL. *hiſt. n. 285.*

α. Foliis linearibus anguſtiſſimis integerrimis.

Teucrium ſupinum. LINN. *ſp. pl. 791.*

Polium montanum minus repens. BAUH. *pin. 220.*

Polium montanum ſupinum minimum. LOB. *hiſt. p. 258. ic. 488. Cluſ.* TAB. *ic. p. 364.* MORIS. *hiſt. 3. ſ. 11. t. 2. f. 21.*

Polium VIII. CLUS. *hiſt. 1. p. 363. f. 8. med.*

β. Foliis lanceolatis anguſtioribus integerrimis.

Teucrium montanum. LINN. *ſp. pl. 791.*

Polium lavandulæ folio anguſtiore. BAUH. *pin. 221.* TOURN. *inſt. 207.*

Polium VII cum ſemine. CLUS. *hiſt. l. c. f. b.*

Polium campeſtre. TAB. *ic. 365. b.*

γ. Foliis lanceolatis latioribus integerrimis.

Polium lavendulæ folio latiore. BAUH. *pin. l. c.* TOURN. *l. c.*

Polium VII cum flore. CLUS. *hiſt. l. c. f. male foliis alternis.*

Digitized by Google

Polium lavendulæ folio femina. LOB. *adv. 207. hiſt. p. 258. f. Cluſ. ic. 488. ead.* TAB. *ic. 364. ead.*

Polium majus. CORD. *hiſt. p. 124. f. mediocr.*

Polium alterum. MATTHIOL. *comm. (ed. Bauh.) p. 612.* CAMER. *epit. p. 587. med.*

Ajuga foliis integris. RIV. *mon. t. 25. f. inf. b.*

β. Foliis lanceolatis latioribus obtuſioribus, quibusdam apice dentatis.

Ajuga Riv. foliis denticulatis. RVPP. *fl. jen. 3. p. 220.*

ε. Foliis lanceolatis latioribus anguſtioribusque acutis: plerisque dentatis.

Polium maritimum 3. MICH. *h. florent. p. 75.*

H. in montoſis apricis lapidoſis Germaniæ, Galliæ, Helvetiæ, Italiæ, non ſupra gr. 53. lat.; ε. ad mare Adriaticum frequens, teſte ANT. TVRRA v. cl. cui ſpecimina accepta refero. Fl. Iun. Iul. Suffrutex.

Caulis procumbens, ramoſiſſimus, vix pubeſcens. Ramuli ſteriles tomento albo veſtiti. Folia conferta, elliptica, nunc ad linearem, nunc ad ovatam figuram magis accedentia, plerumque integerrima, nitida, ſubtus tomento albo vel denſiori vel rariori, tecta, obtuſa. Petioli breviſſimi. Corymbi terminales ſolitarii (in varietate ε plures congeſti) oblongi ſ. ſubrotundi, baſi laxiores. Bracteæ foliis ſimiles. Pedunculi infimi longitudine calycis. Cal. angulatus, glaber (acuminatus tenuiſſime, pubeſcens, ſi oculo armato intueare). Cor. albida.

§. X.

Species non ſatis definitæ.

Abſoluta ſpecierum ab omni parte notarum recenſione ad eas tranſeo, quarum mera tantum nomina, aut deſcriptiones iconesve imperfectiores exſtant, eamque ob cauſſam vel vera ſedes, vel differentia ſpecifica ignoratur; quare de quibusdam adhuc dubitari poteſt, num ab aliis omnibus vere ſint diverſæ. Illarum catalogum, ordini temporis quo quæque primum occurrit, accomodatum exhibeo.

Digitized by Google

(1) TEVCRIVM ſcorodoniæ folio. CAMER. *hort. p. 167.* BAVH. *hiſt. pl. 3. p. 291. ſ. ic.*

(2) POLIVM cyprium candidum. BAVH. *hiſt. 3. p. 300. ſ. ic.* monſpeſſulano (49) candidius, foliis perpuſillis, crenis vix apparentibus, fragrans.

(3) D. POLIVM montanum pumilum tenuifolium africum. PARK. MORIS. *3. p. 356. ſ. 11. t. 2. f. 16.*

(4) TEVCRIVM americanum procumbens, veronicæ aquaticæ foliis ſubrotundis. HERM. *hort. lugd. p. 590. ic. p. 591.* MORIS. *l. c. p. 423.*

(5) POLIVM latifolium incanum creticum. BAVH. *prodr. p. 109.*

(6) POLIVM creticum. WHEEL. *voy. en Grece v. 1. p. 47. 2. p. 496.* in Corcyra, Athenisque lectum; anne 47?

POLIVM gnaphaloides Wheeleri MORIS. *3. p. 356.* anne ab hoc diverſum?

(7) POLIVM montanum hiſpanicum non crenatum, flore albo. BARR. *obſ. 327. ic. 1049.*

(8) POLIVM montanum erectum crenatum anguſtifolium, flore albo. BARR. *obſ. 328. ic. 1050.*

(9) POLIVM ſaxatile purpureum, ſerrato ſerpylli folio. EI. *obſ. 342. ic. 1061.* In multis cum 42. convenit.

(10.) POLIVM montanum album ſerratum latifolium erectum majus. EI. *obſ. 325. ic. 1079.*

(11.) POLIVM montanum gnaphalodes incanum, flore rubro, ſupinum. EI. *obſ. 325. ic. 1083.*

(12) POLIVM ſaxatile chamædryoides, oblongo folio, rubro exiguo flore. EI. *obſ. 394. ic. 1094.*

(13) POLIVM ſurrectum minus anguſtifolium ſerratum e viridi caneſcens. EI. *obſ. 341. ic. 1097.*

(14) POLIVM ſaxatile pumilum ſerratum ſupinum incanum, flore rubello. EI. *obſ. 339. ic. 1098.*

Digitized by Google

(15) POLIVM minus erectum, anguſtis crenatis brevibusque foliis, flore rubro. EI. *obſ. 340. ic. 1099.*

(16) POLIHOMONS et (17) LINGOVEHA Canarienſium. MORIS. *l. c. p. 423.* a cl. GVETTARDO ad Polia relata.

(18) CHAMAEDRYS hirſuta cretica, floribus purpureis, polii in modum ſummis ramulis coronata. PLVK. *amalth. p. 54. t. 377. f. 3.*

(19) SCORODONIAE ADFINIS ſinarum, floribus ex albo purpuraſcentibus, ſpica florum compactiore. PLVK. *amalth. 188. t. 444. f. 2.* Caulis tetragonus, ramoſus; folia petiolata, ovalia, ſerrata, acuta. Spicæ terminales lateralesque, longæ, floribus parvis, patentibus, breviſſime pedunculatis. Calyx campanulatus, quinquefidus; corollæ labium trifidum, lacinia media cochleariformi. Semina 4 oblonga.

(20) CHAMAEDRYS fruticoſa lucida hiſpanica. TOVRN. *inſtit. p. 205.* anne 25?

(21) POLIVM hiſpanicum latifolium, capitulo breviori, purpuraſcente flore. TOVRN. *inſt. 206.*

(22) POLIVM hiſpanicum ſupinum, flore flaveſcente. TOVRN. *inſt. 207.* an 44? Polium *ramoſum*, caule ramoſo procumbente, foliis lineari lanceolatis ſuperne dentatis, ſpicis oblongis terminalibus. MILL. *dict. n. 9.*

(23) POLIVM hiſpanicum longiore capitulo, flore vario. TOVRN. *inſt. l. c.*

(24) BVGVLA orientalis, flore e violaceo purpuraſcente. TOVRN. *cor. p. 14.*

(25) BVGVLA orientalis longifolia, flore majore intenſe cæruleo. TOVRN. *l. c.*

(26) CHAMAEDRYS cretica inodora, meliſſæ folio, flore parvo albido. TOVRN. *l. c.*

(27) CHAMAEDRYS famia fruteſcens, betonicæ folio. TOVRN. *l. c.*

(28) CHAMAEDRYS orientalis latifolia villoſa. *ib.* an var. 21?

(29) CHAMAEDRYS orientalis minor repens, flore ruberrimo. *ib.*

Digitized by Google

(30) POLIVM ſmyrnæum ſcordii folio. TOVRN. *ib.* Polium ſmyrnæum. MILL. *dict. n. 15.* Spicæ ſubrotundæ laterales. Folia linearia pinnato dentata.

(31) TEVCRIVM americanum halicacabos et alopecuroides. PLVM. *ſp. p. 14.* an idem cum (38)?

(32) SCORODONIA minor luſitanica flore purpureo Sherardi. RAI. *hiſt. 3. p. 311.* Vulgari minor, ſpicis brevibus.

(33) SCORODONIA altera ruſtica minor ſeu chamædryfolia. CVPAN. *h. cathol. ſuppl. 3.* RAI. *l. c.* Folia minora et breviora quam in vulgari. Flores in ſpica crebriores. Anne 35 β?

(34) POLIVM hiſpanicum latifolium, flore albo. RAI. *l. c. p. 379.* An P. hiſp. maximum album TOVRN.? ramis corymboſis. Anne 46?

(35) POLIVM anguſtifolium flore vario. RAI. *l. c.*

(36) POLIVM alexandrinum caule candido et tomentoſo, foliis vireſcentibus crenulatis, flore luteo, capitulis ſulphureis. LIPPII. GVETT. *mém. de l'acad. de Paris 1748. p. 449.*

(37) CHAMAEDRYS paluſtris caneſcens fruticoſa cretica, flore purpureo. MICH. *h. flor. 127.* an 30?

(38) TEVCRIVM *veſicarium* foliis ovato lanceolatis inæqualiter ſerratis, racemis axillaribus terminalibusque, calycibus inflatis. MILL. *dict. n. 17.* Chamædrys americana maxima catariæ folio, calyce veſicario. HOVST. *mſſ.* H. in La vera cruz, annua. Caulis tripedalis, brachiatus; folia ovato lanceolata glabra, ſubtus pallidiora, longe petiolata, triuncialia; racemi longi; flores majuſculi, albi.

(39) POLIVM *ſpicatum* caule erecto ſuffruticoſo, foliis linearibus confertis, ſpicis cylindraceis faſtigiatis terminalibus. MILL. *dict. 10.* E Sicilia. Caulis ſeſquipedalis, albus, ramis erectis. Fl. albi.

(40) POLIVM *integerrimum* caule erecto ſuffruticoſo, foliis lanceolatis integerrimis, corymbis confertis terminalibus. MILL. *dict. n. 14.* Ex Hiſpania. Fol. viridia.

(41) TEVCRIVM *ſpecioſum.* Specious Teucrine. HILL. *veg. p. 14. t. 14.* caule ſeſquipedali, ramoſo; foliis cordatis, ſubvilloſis,

Digitized by Google

obtuſis, obtuſeque crenatis; racemis cylindraceis, prælongis; floribus purpureis. Ex America boreali a BARTHRAMIO miſſum.

(42) TEVCRIVM *arenarium*. GMEL. *reiſe vol. 1. p. 149. t. 26. f. 2.* planta ſpithamæa ſuaveolens, foliis inciſo crenatis fere chamædryos, ramulis floriferis axillaribus brevibus; in quibus folia parva integerrima. Ad Tanaim prope Broſchinskaja repertum ſub latit. 49° 50′.

(43) TEVCRIVM *Chamæpitys*. GMEL. *l. c. t. 26. f. 2.* floribus magnis longitudine fere foliorum a noſtrate diverſum; ibidem lectum. an 5?

§. XI.

Qualitates ſpecierum utriusque generis.

Expoſitis præcipuis plantarum noſtrarum proprietatibus, generum juxta ac ſpecierum differentias indicantibus, ad reliquas harum qualitates progredimur, tactu, odoratu guſtuque percipiendas. Quod ad TACTVM attinet, hujus ope plerarumque et ſuperficies et ſubſtantia deprehenditur ſicca, quarumdam rigidior, aliarum mollior, maxime lanugine iſta tenera obductarum, quæ poliis familiaris eſt. E chamæpityos botryos teucriique ſpinoſi pilis exſudat liquor modice glutinoſus. Paucæ, ceu ajuga ſalicifolia teucriumque ſibiricum, ſcabræ, vel, more campanulati, omnino læves ſunt. De ODORE in univerſum præmonendum eſt, duplicem in variis plurimarum partibus ineſſe. Alium exhalat flos, eumque perquam debilem, melleum, melligini in fundo ejus collectæ tribuendum; aut ſuavem, ad corollam referendum. Quarumdam, bugularum maxime, flores odore carent. Alium, quem cum floris calyce, ſæpe etiam corolla, tritis, communem habet, herba ſpargit fricta, eumque fortiorem folia, caulis debiliorem. Hunc, indole graduque diverſum, quælibet fere ſpecies habet proprium. Quodſi tamen ſtirpium odores in genera quædam diſtribuere fas eſt, ii qui in noſtrarum plerisque deprehenduntur,

Digitized by Google

(paucæ enim ſunt inodoræ, ut ſp. 19.) ad ſequentia fere reduci poterunt: (1) *Herbaceus*, isque debilis obſervatur in bugulis. (2) *Spirans*, ut a perill. LINNEO appellatur, debilior eſt chamædryi, fortior teucrio flavo; ad ſimilitudinem odoris abrotani utcumque accedens, fruticanti; idem fere, ſed fortior gratiorque, botryi. (3) *Spirans*, atque una quodammodo *gravis*, debilior montano, fortior aliis poliis, nec non teucrio maſſilienſi. Reſinoſi quidpiam ſimul exhalant chamæpitys atque iva, et adhuc magis teucrium montanum, aureum aliaque polia. (4) *Spirans* ſimulque *pungens*, BARRELIERO teſte, obſervatur in pycnophyllo, maxime vero in maro, cui ſimilem nulli vegetabili natura conceſſit. (5) *Spirans* cum admiſto *alliaceo*, debilior eſt ſcorodoniæ, fortior ſcordio, teucrioque hyrcano et canadenſi. Plurimæ ſpecies odoris maximam amittunt partem, cum exſiccantur; in aliis vix imminuitur, ut in maro. SAPORIS alia in his plantis eſt conditio. Omnes quotquot innotuerunt, *amaræ* ſunt, quædam remiſſius, ut teucrium virginicum, quædam intenſius. Paucarum amarities eſt pura, ut campanulati; in multis acredinem quamdam habet comitem, ut in ſcordio, ſcorodonia, poliis; quæ in maro adeo fervida eſt et pungens, ut amaritiei ſenſum fere deleat. Styptici in nulla ſpecie detegitur quidquam.

§. XII.

Species officinales.

Cum itaque et odor et ſapor harum plantarum ita ſint comparati, ut inſignem rei medicæ promittant efficaciam; non eſt mirandum, plures ex illis dudum inter medicamenta fuiſſe relatas. Veteres iis utebantur, de quibus §. I. egimus, tam ſolis, interne atque externe, quam ad multa medicamenta compoſita paranda, quarum compoſitiones apud CELSVM, SCRIBO-

Digitized by Google

SCRIBONIVM LARGVM, GALENVM, NICOLAVM MYREPSVM aliosque exſtant. Præcipue autem variis remediis theriacis admiſcebantur, etiam famoſiſſimo illi, quod ab ANDROMACHO nomen habet; quapropter in inſula Creta curioſiſſime colligebantur, ſiccabantur, chartisque involutæ peregre transmittebantur, teſte GALENO *de antid. l. I. c. XIV. p.* 889. *vol. XIII. ed. Charter.* Noſtro tempore in majoribus pharmacopoliis proſtant atque in uſus medicos adhibentur

CHAMAEDRYS, quo nomine in Germania quidem chamædrys minor repens C. B. ſeu ſpeciei noſtræ 21 varietas α; apud exteros quosdam vero chamædrys major repens C. B. ſeu var. β venit. Hujus et herbam, et conſervam, eſſentiam, extractum aquoſum atque aquam ſtillatitiam exinde parata habent. Ejus loco pharmacopœi Nicæenſes ſpeciei 23 varietate β utuntur, quam *chamædryn majorem* vocant. ALLION. *fl. nic. p.* 41.

SCORDIVM, tam *vulgare*, quam *creticum*, ab illo non diverſum, utrumque ad ſp. noſtram 29 referendum; ejusque et herba, et hujus conſerva, acetum, eſſentia, aqua ſtillatitia, cohobata, extractum aquoſum et ſyrupus.

CHAMAEPITYS, quæ ajuga noſtra 4 eſt, ejusque herba, atque exinde parata aqua ſtillatitia, eſſentia, una cum extracto aquoſo.

POLIVM CRETICVM, quod proprie teucrium noſtrum 47 eſt, etſi hujus loco pharmacopœi Sueci, teſte perill. *a* LINNE', et Dani, auctoritate *pharmacopœæ Danicæ* an. 1772. editæ *p.* 45, teucrio cretico LINN. *ſp. pl. p.* 788. quod ſpecies noſtras 10 et 11 comprehendit, utantur. Ceterum ſola polii cretici herba in pharmacopoliis reperitur.

POLIVM MONTANVM, cujus herba, ubi creticum deficit, ei ſubſtitui ſolet, pharmacopolæ Galli a ſpecie 43, Germani autem a 57 petere conſueverunt; quas ſpecies *phar-*

Digitized by Google

macopœa Wirtembergica, nuper edita, *p.* 60. et inter ſe et cum ſp. 49. confundit.

MARVM VERVM, quod teucrium noſtrum 28 eſt, vera teucrii, non thymbræ ſpecies, ut in laudata *pharmacopœa p.* 62. aſſeritur, eamque a TOVRNEFORTIO thymbram hiſpanicam majoranæ folio vocari, minus accurate traditur. Hujus herba, vel ſummitates floridæ, et in quibusdam officinis pharmaceuticis ſpiritus quoque, oleumque æthereum deſtillando paratum proſtant.

SCORODONIA ſeu SALVIA SILVESTRIS, teucrium noſtrum 35, cujus ſola herba in pharmacopoliis, ſed rarius, invenitur; non confundenda cum ſcorodonia LINN. *mat. med. I. n.* 531. *II. n.* 188. quæ Petiveriæ ſpecies eſt.

CONSOLIDA MEDIA, ſive BVGVLA, pharmacopœis Italis LAVRENTIANA herba, ajuga noſtra ſecunda, cui in regionibus ſeptentrionalibus tertiam ſubſtituunt, quam et *pharmacopœa Wirtembergica p.* 55 præfert. Iſtius ſola in tabernis pharmaceuticis adſervatur herba; quam tamen, ceu incertam, exinde proſcribendam eſſe perill. *a* LINNÉ *amœn. acad. Vol. IIII. p.* 32. judicat.

IVA MOSCHATA, ajugarum a nobis recenſitarum ſexta, non fere niſi in Galliæ pharmacopoliis reperitur.

Harum plurimæ præterea etiam variis admiſcentur medicamentorum compoſitionibus, quibus enumerandis ſuperſedere poſſumus, cum a perill. *a* LINNÉ et GEOFFRAEO in libris *de materia medica*, ill. GLEDITSCHIO im *verzeichniſſe der arzneygewächſe*, in *codice medicamentario Pariſienſi*, aliisque ſimilibus libris reperiantur.

In his ſpeciebus ſubſiſtendum eſt, ſi de utilitate plantarum verticillatarum unilabiatarum in re medica quæritur. Etſi enim reliquæ etiam tam odore, quam ſapore non mediocrem

Digitized by Google

promittant efficaciam; de plerisque tamen, quantum quæque valeat, nondum habemus compertum. Mirum hoc videbitur nemini, qui meminerit, ex ipsis his speciebus, in medicorum æque ac pharmacopœorum usus receptis, aliquas, si non omnes, haud multo meliori esse conditione. Perpensis enim, quæ de singularum facultatibus prodita reperiuntur, fateri cogimur, ea ita esse comparata, ut quædam addi, alia emendari, et limitari, alia expungi mereantur; tantum abest, ut omnia jam ad umbilicum perducta sint. Quam ob rem iis, qui occasionem, non cuique concessam, medicamentorum facultates ea qua par est ἀκριβείᾳ tentandi, nanciscuntur, et in his plantis periculorum materiam invenient. Nobis, qui ad illarum cognitionem ex hac parte augendam expoliendamque parum conferre possumus, virtutes, quas medici singulis tribuerunt, ex eorum operibus collegisse et recensuisse sufficiet. Hæ quidem magnam partem ex antiquitate sunt repetitæ, proprie igitur ad stirpes, antiquis familiares, pertinent, quas a nostris ὁμωνύμοις aliquantulum diversas esse, supra indicavimus. Nihilo tamen secius eædem, quatenus fidem merentur, his quoque, pro ea quæ iis cum prioribus intercedit analogia, tribui possunt. Quæ neutris convenire, sed fabellas potius sapere videntur; has enim ex instituto nostro præterire non potuimus; majorum studio, omnia, quæ vel utilia vel mirabilia visa fuerint, congerendi, facile condonabuntur.

§. XIII.

Disquisitio earum chemica.

Ante vero quam ista exponere aggrediamur, mixtionem harum plantarum, cujus notitia earum usus in medicina apprime adjuvatur, experimentis chemicis, quantum instituti ratio permittit, declarare annitemur. Qua tamen in re Parisienses non audiendos esse arbitramur, qui omnem vegetabilium mix-

Digitized by Google

tionem ſumma ignis violentia explorari et poſſe et debere profitentur; cujus adminiculo quid e noſtris elicuerint, GEOFFRAEVS refert *mat. med. tom. III. p.* 230. 297. 306. 307. 821. Certior omnino eſt via, qua inſiſtunt, qui caloris moderati, et liquorum, partes absque metamorphoſi evolventium atque a ſe invicem ſeparantium, adminiculo veram earum craſin, quantum fieri poteſt, aſſequi ſtudent. Quænam et quales hac ratione in ſingulis plantis, ſuperiori paragrapho commemoratis, iis ſaltem quas examini ſubmittere licuit, detectæ fuerint partes, tam ex virorum fide dignorum, quam noſtris experimentis breviter exponemus, pleniorem horum tractationem in aliud tempus differre coacti.

CHAMAEDRYOS igitur herba ſicca, qualis in poſterum ſemper intelligetur, aquam calidam adfuſam colore inficit e flavo fuſco, odore proprio ſed debili, ſapore amaro; liquor iſte ſpiſſatur in craſſamentum gummoſum fuſcum, intenſe amarum. Spiritus vini adfuſus colore ſaturate viridi, odore herbæ, amaritieque balſamica imbuitur; eo deſtillatione expulſo remanet extractum reſinoſum e flavo nigricans, odore debiliori, amaritie fortiori, quam quæ in tinctura inerat. Vtriusque drachmæ duæ cum aliquot granis ex uncia herbæ ſiccæ obtinentur. Conf. ill. CARTHEVSERI *mat. med. t. II. p.* 471. Aqua ſtillatitia odorem quidem herbæ de ſe ſpargit, ſed fugacem; neque olei ætherei quidquam cum ea prodire obſervatum eſt.

SCORDII herba, aquæ colorem impertit e viridi fuſcum, et ſaporem amarum, cum odore ſibi proprio; inde extractum obtinetur fuſcum, valde amarum, parum odorum, ponderis trium drachmarum et quod excurrit, ex herbæ uncia. Tinctura ſpirituoſa aliquando eleganter viridis eſt, aliquando ad ſpadiceum colorem declinat; illud maxime, ubi e planta paratur in ſolo ſicciore læto culta, et, NEVMANNO auctore, vini ſpiritu ab omni aqua liberato; hoc, ſi herba ſumitur, in

Digitized by Google

ſolo humido ſponte prognata. Extractum reſinoſum ab hac paratur gummoſo longe amarius, cujus dimidia fere unciæ inhæret drachma. Aqua deſtillata odorem herbæ proprium gratum, in receſſu nonnihil alliaceum, ſpirat; ſed alliaceam indolem brevi amittit. Olei ſtillatitii non niſi guttulæ cum aqua prodeunt diſperſæ, in quibus odor alliaceus unice reſidet. Conf. NEVMANNI *chem.* ed. ZIMMERMANNI *Dresd.* 1759. *p.* 867. CARTH. *l. c. t. I. p.* 519.

SCORODONIA aquam coctione e viridi flavaque fuſcam reddit, et peramaram; inde obtinui extractum fuſcum, ſapore perinde ſatis amaro. Aqua ſtillatitia aquam ſcordii odore quodammodo refert, ſed minus alliaceo, magis aceri diſtinguitur.

CHAMAEPITYOS herba aquam colore e flavo fuſco, odore ſuo peculiari et ſapore amaro balſamico imbuit; unde extractum obtinetur e flavo nigricans, odore debili, amarum, nonnihil acre, ad drachmas duas ex uncia. Tinctura ſpirituoſa ſaturate viridis eſt, et plantam odore magis quam aquoſa, refert, ſapore autem eſt amaricante balſamico nonnihil acri; ſpiſſatione extractum ſiſtit e flavo nigricans, amarum, non amplius acre, ſed in receſſu potius ſubdulce; utrumque ad drachmas duas ex herbæ uncia, obtinetur. Aqua ſtillatitia partibus volatilibus parce imbuta eſt, ſed oleum ſecum vehit æthereum, illi quod e terebinthina deſtillando elicitur, non abſimile. Conf. CARTH. *l. c. t. II. p.* 473. LEWIS *mat. med. e verſ.* ZIEGLERI *p.* 468.

POLIVM CRETICVM et MONSPELIACVM, quibuscum etiam LVTEVM convenit, aquae colorem dant e gilvo fuſcum, et odorem plantæ nativum, ſaporemque amarum nonnihil acrem: deinde extractum e luteo fuſcum, vehementer amarum, odoris plantæ non penitus expers, ponderis ſeſqui drachmæ, ex ficciſſimæ herbæ cum ſtipitibus floribusque

Digitized by Google

uncia. Spiritus colore viridi ad flaveſcentem declinante, ſapore pariter amaro inficitur; extractum, quod ad ſeſquidrachmam exinde obtinetur, nigricans eſt, atque illud amarore ſuperat. Aqua ſtillatitia odorem plantæ continet diuque ſervat; olei ſtillatitii nos quidem e plantis non ſatis recentibus nihil recepimus; cum tamen, teſte cl. LEWIS, e polio montano, procul dubio eodem quod iſto nomine ſupra recenſuimus, paullulum olei ætherei flaventis, acris et pungentis, odoris minus grati quam herba, obtineatur, dubitare non licet, quin et creticum, recentius et copioſius deſtillando tentatum, ſimile ſit daturum.

MARI VERI herbam aqua calida adfuſa, digeſtione omni fere nativa acredine, nares et linguam afficiente, et amaritie exuit, atque una colore flavo viridi tingitur, coctione in ſubfuſcum abeunte. Iſta ſub evaporatione laticis aquoſi ſimul diſſipatur, atque extractum relinquit inodorum, admodum amarum, e luteſcente fuſcum. Spiritus vini ſuperfuſus e viridi flaveſcit, odore herbæ nares ſaporeque acri amaro balſamico fortiori linguam adficit; quo deſtillando ablato, extractum remanet reſinoſum, aromatica et amara acredine guſtui moleſtum. Aqua ſtillatitia herbæ odorem exhibet, oleique ætherei majorem quam priorum quæque, portionem habet comitem, quod acredine odoreque penetrante ad cochleariæ oleum accedit. Conf. FRID. HOFMANNI *obſ. phyſ. chem. ſel. p.* 17. CARTH. *l. c. t. I. p.* 484.

CONSOLIDAE MEDIAE herba cum flore exſiccata grato calidam colore cyaneo, et ſapore primum ſubdulci, tum valde amaro imbuit. Nullus in ea odor percipitur. Sub evaporatione aquæ color cyaneus ſenſim in fuſcum ad viridem declinantem mutatur, eaque expulſa remanet extractum aquoſum, e luteo aut ſpadiceo fuſcum nigricans, admodum amarum, ut tamen non omnis dulcedinis ſenſus perierit. Hoc ex uncia granorum ſex ſupra duas drachmas pondus attigit. Aqua, ſolis

Digitized by Google

floribus decenter exſiccatis adfuſa, colore aliquanto elegantiori tincta apparuit; qui tamen, illa evaporante, perinde in fuſcum abiit. Spiritum vini herba ſaturato colore viridi, vix aliquantulum ad flavum inclinante, tingit, ſimulque nullo quidem odore, ſapore vero admodum amaro imbuit. Extractum ſpirituoſum, quod hac infuſione obtinetur, colorem aquoſo ſimilem, ſed ſaturatiorem, amaritiemque paullo intenſiorem exhibet. Ex uncia herbæ ſcrupulos quatuor et aliquot grana hujus craſſamenti obtinui.

Omnes iſtæ plantæ combuſtæ parum relinquunt cineris, parco ſale lixivio prægnantis. In iſto, e ſcordio parato, ſalem medium, culinari nitroque ſic dicto embryonato ſimilem ill. CARTHEVSERVS ſe reperiſſe refert; iſtum et in cineribus herbæ, NEVMANNO præeunte, deprehendit. An iidem ſales, aut etiam alii, quos in variis plantis amaris chemicorum detexit induſtria, e reliquis quoque obtineantur, experiri nondum potui. De ſale culinari tamen nullus dubito, utpote e perplurium plantarum cineribus eliciendo; quod autem ad reliquos, inprimis Glauberianum, attinet, de eo ill. CARTHEVSERVS *l. c. tom. I. p.* 164. *et* 507. legi meretur.

Ex iis quæ hactenus in medium protulimus, inter ſe collatis, facile apparet, in plantis iſtis ineſſe partes I. *fixiores*, easque a) *terreas;* b) *mucoſas;* in aliquibus, ut bugula, copioſiores, in aliis, ut maro, parciores; c) *gummoſas* et *reſinoſas*, utrasque grate amaras, ſapore in diverſis ſpeciebus non multum diſſimili, modo his, modo illis fortiori, proportione in ſingulis ſpeciebus magis minusve diverſa commixtas, idque mucilaginis ope adeo arcte, ut numquam ſe perfecte diſſociari patiantur; quamobrem gummoſo ſemper aliquid reſinoſi adhæret, et reſinoſo quidpiam gummoſi; c) *ſalinas*, mediæ naturæ, maxime muriaticas et nitroſas. II. *Volatiles*, paucas in plerisque, ſi cum fixioribus, quibus admixtæ ſunt,

Digitized by Google

comparentur. Inter has præcipuum eſt *oleum eſſentiale æthereum*, quod vel aliis partibus quaſi involutum deprehenditur, vel liberius atque a reliquarum conſortio facile avellendum. Hujus exigua copia in chamædry ineſt, major in ſcordio, tum chamæpity polioque, maxima in maro. Propria illud in ſingulis ſpeciebus differt qualitate, eique et odor, et acer, ubi adeſt, ſapor debetur.

In viribus igitur ſingularum ſpecierum definiendis ad utrasque, tam fixas quam volatiles partes, erit reſpiciendum; ad iſtas vero maxime, quæ in quaque dominantur. Conſolida media unice, chamædrys potiſſimum e partibus fixioribus; reliquæ ſimul e volatilibus, et marum ex his præcipue, æſtimandæ ſunt. Cum vero volatilium in omnibus, præter marum, portio ſit modica, earumque indoles blanda, non tam mutationem aliquam virium a fixioribus pendentium inferre poſſunt, quam horum potius actionem juvant. Hæc qui conſideraverit, illi de varia harum plantarum præparatione, quæ vel in pharmacopoliis fit, atque a nobis ſuperiore paragrapho indicata eſt, vel ægris imperari ſolet, facile erit judicare, cauſſamque intelligere, quare uſus chamæpityos ſcordiique, ex aqua vinove adſumtarum, latius pateat tutiorque ſit, quam ſic dictarum eſſentiarum, quæ tanto vehementiores edunt effectus, quanto ſunt meraciores; immo, a pharmacopœis fraudulentis vario modo adulteratæ, noxios inferre poſſunt. Infuſos iſtos liquores inertiores fieri, ſi cum herbis coquuntur, eamdemque eſſe extractorum, maxime aqua paratorum, indolem, vix eſt quod moneamus.

§. XIII.

Vires medicæ.

Progredimur ad ſtirpium, quarum mixtionem hactenus expoſuimus, facultates medicas, quas, cum pluribus pleraque commu-

Digitized by Google

communes, graduque potiſſimum diverſæ ſint, conjunctim tradere poterimus. Generaliores earum virtutes in eo conſiſtunt, quod fibram animalem firment, ſtimuloque adficiant; illa particulis potiſſimum fixis tribuenda, hæc volatilibus; quare in plerisque blanda, in maro fortis atque vehemens obſervatur, in bugula nulla. Humores attenuant, condiunt, viſcidos reſolvunt, acore infectos emendant. — Ventriculum itaque et inteſtina corroborant, tonumque ipſis relaxatum reſtituunt. Polium quidem κακοστόμαχον ſeu ſtomacho inutile a DIOSCORIDE dicitur; quod tamen, PLINIO teſte, alii negarunt, neque concedi poteſt, niſi forte vocabulum iſtud ita, ut a SCHVLZIO in diſſ. *de colocynth.* §. X. factum eſt, explicare, aut ingratum eo indicari ſenſum putemus, quem aſſumtis rebus, palato ingratis, ſæpius oriri conſtat. Porro motum periſtalticum augent, flatus discutiunt, appetentiam cibi excitant, ejusque digeſtionem adjuvant. Pituitam viſcidam, aceſcentem in inteſtinis hærentem, ſolvunt; immo, convenienti forma et paullo copioſius exhibita, ceu bilis ſuccedanea, inteſtina abſtergendo blandeque ſollicitando, alvum molliunt; quam virtutem de polio et chamæpity ſua primâ DIOSCORIDES jam prædicavit, et nos in bugula ipſi invenimus. Contra eamdem etiam moderate ſiſtunt, ubi ob laxitatem inteſtinorum fluit. Lumbricos quoque, ſi qui alvum occupant, his plantis affici obſervatum eſt; quare paſſim anthelminthicis plerasque adſcriptas reperias, inprimis ſcordium. — Ad ſanguinem delatæ, viribus vaſorum ipſiusque cordis auctis, ſtimuloque iis infixo, motum ſanguinis incitant, calorem augent; quam facultatem chamædryi ſcordioque DIOSCORIDES PLINIVSque, GALENVS ejusque aſſeclæ omnibus, etſi diverſo gradu, tribuunt; in maro autem ſummam reperimus. Porro viſcidam humorum dyscraſiam reſolvunt; ſimulque acorem eorum emendant. In ſpecie bilem viſcidam atque aceſcentem corrigunt. Secretiones atque excretiones fluidorum expediunt; perſpirationem itaque, ſudorem, urinam, cient; immo ſanguinem menſtruum trahunt,

Digitized by Google

quo nomine chamædryn, ſcordium poliumque DIOSCORIDES, PLINIVS, GALENVS, aliique laudant. Quid? quod ἔμβροα ἄγειν chamædryn DIOSCORIDES, polium et chamæpityn PLINIVS perhibeant: de quo tamen valde dubitamus. Varias inſuper humorum ſordes expellunt, ſanguinemque depurant. Pituitæ viſcidæ reſolutæ e viſceribus expulſionem promovent; quare e pulmonibus πάχος, ut vocat, πυῶδες, ſcordio educi DIOSCORIDES tradit, chamædry PLINIVS. Sanguinem vero denſatum chamæpity extrahi pota a PLINIO non facile perſuadebimur. Humorum itaque per viſcera tranſitum liberiorem reddunt, ſeu aperiunt. Vi denique pollent putredinem avertendi, quam in ſcordio ſummam jam antiqui laudarunt, et recentiores etiam invenerunt talem, ut remedio iſto, ante quam cortex peruvianus innotuiſſet, ceu primario antiſeptico uterentur. Conf. IVNK. *therap. gen. p.* 416.

Hic quoque virtus, venenis reſiſtendi, non prætereunda eſt, quæ, ſi antiquos audiamus, in plantis ſupra dictis, certe iis, quarum notitiam habuerunt, mirifica eſt. Primum animalium venenatorum, maxime ſerpentium, morſui mederi, ſeu alexiteriæ, eo ſenſu quo hoc vocabulum a quibusdam accipi GALENVS *de med. fac. l. V. c.* 18. *tom. XIII. opp. p.* 133. auctor eſt, dicebantur. Eo nomine chamæpityn NICANDER, trixaginem CELSVS *l. V. c.* 26. *f.* 10. cum DIOSCORIDE, et hic inſuper ſcordium poliumque, magnis laudibus, a PLINIO repetitis, extollunt. Deinde venenorum ingeſtorum vim infringere, ſeu alexipharmacæ eſſe feruntur, præſertim ſcordium et polium. In ſpecie aconito chamæpityn opponunt NICANDER *alexiph. v.* 56. et DIOSCORIDES *alexiph. p.* 120; ixiæ potui iſte l. c. v. 303. πολίοιο μυοκτόνου ἄνθην, quod cur hic μυοκτόνον appelletur, et poetæ interpres, et qui poſt eum in hunc locum inciderunt, mirati ſunt, ſiquidem nullum polium hoc nomen aut alibi gerat, aut mereatur. Præterea vim teucrii chamædryosque ad lienem conſumendum DIOSCORIDES, PLINIVS,

Digitized by Google

GALENVS, alii, prædicant, quæ teucrii herbæ detegendæ TEVCRO inventori dederit occaſionem; conf. PLIN. *l. XXV. c.* 5. Quorum omnium fides ſit penes ipſos auctores.

Quod ad iſtarum ſtirpium, corpori humano externe applicatarum, vires attinet, hæ potiſſimum in eo conſiſtunt, ut, diſpari licet efficacia, roborent; diſcutiant; præcipue autem, ex mente antiquorum, vulnera glutinent; ulcera repurgent ſanentque. Præ reliquis ſcordium permagnam apud antiquos famam propter vim antiſepticam adeptum eſt, qua hominum alicubi in prælio interemtorum cadavera inhumata a corruptione defendiſſe traditur; vide GALENVM de *antid. l. I. c.* 12. Idem vulgare ſcordium, cadaveri intruſum, præſtitiſſe RVDBECKIVS ap. BOERH. *hiſt. pl. p.* 264. teſtatur. Vtrumque in medio relinquimus; tanto certius autem facultatem putredinem a vivo corpore avertendi, ipſi, maxime recenti et decenti modo *κατα-πλασσομένῳ* ineſſe novimus. Non tamen ſoli ſcordio hanc laudem tribuendam eſſe fatemur, utpote quæ et reliquis eo magis competit, quo amariores ſunt, particulisque odoriferis, oleoſis, acribus magis abundant; quare dubitari nequit, ſcordium hac in re a maro adhuc ſuperatum iri, ubi hujus copia, ad experimentum neceſſaria, haberi poſſit. Hoc externe vix, niſi ut errhinum, adhiberi ſolet, promtiusque, quam plura alia errhina, ſternutamenta excitat.

§. XV.

Morbi, quibus medentur.

Venio nunc ad morbos, quorum curatio, ex antiquorum juxta ac recentiorum mente, plantis ſupra dictis vel abſolvitur, vel magnopere adjuvatur. Horum catalogum, e præcipuis ipſorum monumentis collectum, cum ſingulorum remediis, heic exhibeo.

Digitized by Google

VVLNERA et *ῥήγματα*, rupta. Hæc ſanant chamædryos folia cum oleo impoſita THEOPHR. *hiſt. l VIIII. c.10.* ſcordium DIOSC. *l. III. c. 125.* PLIN. *l. XXVI. c. 13.* GALEN. *de ſimpl. med. fac. l. VIII. vol. XIII. p. 229.* polium DIOSC. *c. 124.* PLIN. *l. XXIIII. c. 20.* minus GALEN. *p. 222.* PAVLL. AEGIN. *l. VII. p. 294. ed. Baſil. 1556* chamæpitys DIOSC. *c. 175.* GALEN. *l. c. p. 241.* conſolida media RVELL. *de nat. ſtirp. l. III. c. 18.*

ICTVS *animalium venenati.* Vide paragraphum præcedentem. Scordium adverſus rabidorum animalium morſus prodeſſe, addit KLEINKNECHT *de ſcord. p. 55.* utinam vere!

VLCERA antiqua ſcordium ex melle impoſitum purgat et *ἀπουλεῖ* DIOSC. item viride ſive ſiccum GALEN. PAVLL. chamædrys cum melle DIOSC. PLIN. polium minus ſiccum inſperſum GALEN. chamæpitys GALEN. conſolida media FVCHS.

BVBONES *peſtilentes* plurimos ſolo ſcordii pulvere ſanavit CASP. GVITMANNVS Auguſtan. REVSN. *obſ. 132.*

HYPERSARCOMATA ſcordium ſiſtit ſiccum inſperſum DIOSCOR.

TVMORES bugulæ decoctum diſcutit FVCHS.

SCROPHVLAS chamædrys ſanat ex vino albo cocta et ad 6 cochlearia bis quotidie ſumta RAI. *hiſt. pl. I. p. 527.*

HERPETES chamæpitys cohibet *καταπλασσομένη* DIOSC.

Ad SCABIEM utiliter adhibetur chamædrys SCHROED. ſcordium IVNK.

GANGRAENA externe ſcordio præcipue ſiſtitur in cataplasmate impoſito; BVCHW. TOVRN. conf. PLATNERI *chirurg. vol. I. §. 204.*

FEBRES INTERMITTENTES. Adverſus has celebrantur chamædrys apud Aegyptios ALPIN. *de medicam. Aegypt. p. 146. 147.* quare *febrifuga* merito vocatur CAESALP. quæ ipſum Peruvianum corticem aliquando ſuperavit, CHOMELIO teſte, *hiſt. p. 462.* Scordium APVLEI. *med. h. LXV.* chamæpitys apud Mauros SHAW. *voyage vol. I. p. 341.* niſi ibidem fumariam aliquam intellexerit.

Digitized by Google

QVARTANA. Hanc ruſtici Galli ſanant pulvere chamædryos e juſculo RIVER. *cent. IIII. obſ. 84.*

TERTIANA. Chamædryn huic mederi MATTHIOL. CAESALP. illius decocto, bis in die exhibito, ante et poſt paroxyſmum febres tertianas curari poſſe pluries expertus eſt, etiam interdum in iis, qui inutiliter corticem Peruvianum repetitis vicibus adhibuerant SEGVIER *pl. veron. vol. I. p. 319.*

FEBRES MALIGNAE. Ad has ſcordium plurimum prodeſſe monet SCHROED. et experimento confirmat BVSBEQ. *itin. l. III. p. 110. 111.* In ipſa peſte laudatur ab ISTO aliisque; chamædrys a MATTHIOLO; in variolis rubeolisque ſcordium a TOVRNEF.

HYDROPS. Incipientem arcet chamædrys DIOSC. PLIN. cum cremore tartari COTVNN. *de iſch. nerv. p. 21.* polium in aqua decoctum DIOSC. PLIN. chamæpitys PLIN. ſcordium KLEINKN. marum WED. BOERH. bugula HERM. ſcorodonia e vino pota TOVRN. *hiſt. I. p. 125.* In Tympanitide incipiente marum perutile eſt MINDER. *alæd. p. 13.*

CACHEXIA. In hac laudatur ſcordium KLEINKNECHT *de ſcordio p. 69.* maxime vero marum WED. *l. c.* CARTHEVS.

CHLOROSIS. Ad hanc chamædryn e vino albo potam commendant TOVRN. BOERH.

ICTERVS. Polio curatur DIOSC. in vino cocto PLIN. GALEN. chamæpityos foliis e vino potis DIOSC. FERNEL. chamædry et conſolida media CAMER. SCHROED. In Ictero frigido marum utile eſſe MIND. *l. c.*

SCORBVTVS. Ei ſcordium mederi frigido WEDEL. *l. c.* chamædryn SCHROED. chamæpityn BORCL. marum WEDEL. quod virtute antiſcorbutica multa alia medicamenta ſuperat CARTHEVS.

LVES VENEREA. Sunt qui hac infectis ſcorodoniam non infeliciter propinent. DOD. *pempt. p. 291.*

ARTHRITIS. Ad hanc perutilis eſt chamædrys MARCELL. EMPIR. *de med. p. 174.* BOCCONE *obſ. p. 118.* Chamæpitys FERNEL. RAI. quam ex aqua infuſa a ſene quodam utiliter epotam fuiſſe perill. HALLERVS teſtis eſt.

Digitized by Google

DOLORIBVS *omnibus corporis* ſcordii ſuccum a quibusdam opponi PLINIVS *l. XXVI. c. 11.*

HYDROPHOBIA. Hac correptis nuper pulverem ex piloſella, ocimo et maro commendavit cl. WEBERVS diſſ. *de viribus pl. cryptogam. Kil. 1773.*

CONVVLSA, *σπάσματα.* His mederi chamædryn et ſcordium DIOSC. PLIN. GALEN.

EPILEPSIA. Hanc polio ad corpus geſtato averruncari veteris poëtæ, qui *de viribus herbarum* cecinit, ſive is RVFVS fuerit, ſive alius, eſt traditio. Vide ejus *de polio* poemation in FABRIC. *bibl. græc. vol. II. p. 656.* Polio montano luteo morbum comitialem ſanari, IAC. SYLVIVS *prax. med. l. II. c. 20. p. 427.* aſſerit. Idem chamædryn præſtare BOECL. chamæpityn MATTHIOL. Contra polii ſcordiique incertum vel plane irritum uſum in epilepſia eſſe, IVNCKERVS monet.

LASSITVDINEM polium potenter exigere in aceto tritum ſummisque pedibus affuſum, poeta ſupra memoratus refert.

PARALYSIS et APOPLEXIA. Ad hanc, ſeroſo-pituitoſam nimirum, chamæpityn utilem eſſe MATTHIOLVS monet; de maro polioque idem teſtatur BOERH.

EX ALTO LAPSIS ſcordium commendat PLINIVS, recentiores conſolidæ mediæ decoctum; ſcorodoniæ DOD. *l. c.*

CEPHALALGIA DIVTVRNA. Huic chamædryn opponere ſuadet MATTHIOLVS. Marum, ETTMVLL. cujus, ceu errhini, efficaciam in hoc adfectu ſæpius experti ſumus. Polium contra *κεφαλαλγὲς* vocat DIOSCORIDES.

CALIGO OCVLORVM. Chamædrys *ἀχλῦς τὰς ἐν ὀφθαλμοῖς αἴρει*, caligines oculorum diſcutit, cum oleo trita et illita. DIOSC.

EPIPHORA. Polium epiphoris illinitur PLIN.

FISTVLA LACRYMALIS, triſſagine ſanata eſt ABVGERID. ap. SERAPION.

GRAVEDO. In ea marum naribus exceptum perutile eſſe vere. WEDELIVS aſſerit; chamædryn BOECL. chamæpityn HERM.

Digitized by Google

SPVTVM CRVENTVM. In hoc chamædryos infuſi diuturnum uſum laudat CRATO *epiſt. medic. l. III. p. 301.*

VLCERA ORIS, ſtomacace, aphthæ, bugula ſananţur FVCHS. Faucium inflammationem etiam bugula ſanatam fuiſſe TRAG. Conf. *Mém. de l'Acad. de Paris 1754. p. 514.*

ASTHMA maro ſanari WED. chamædry BOECL. convulſivum chamæpity HERM.

TVSSI auxiliari chamædryn DIOSC. vetuſtæ PLIN. eidem ſcordium DIOSC. recenti chamæpityn PLIN.

VOMICAS ſanat trixago PLIN.

VLCERA pulmonum. Ad hæc ſcordium laudatur, nimis, ut perill. HALLERVS cenſet, cum calidum ſit; ulcera vero pulmonum aliam medicationem poſtulent. Eadem conſolida media ſanari ETTM. HERM.

PLEVRITICOS cpota ex aqua trixago ſatis adjuvare dicitur, experimento ruſticorum Romanorum CELS. *de med. l. IIII. c. 6.*

STOMACHICIS polium cum melle tritum prodeſſe MARCELL. EMPIR. *c. 20. p. 139.* Scordium *πρὸς δηγμὸν ϛομάχου* ex hydromelite propinari DIOSC.

VENTRICVLI DEBILITATI ſuccurrere ſcordium HALLER. *hiſt. pl. Helv. vol. I. p. 126.*

TORMINA. *ϛρεφουμένοις* prodeſt chamæpitys DIOSC. infantibus ſcordium parva doſi nutrices in Anglia exhibent. RAI. Tormina colica ſedat marum MIND. *l. c.*

DIARRHOEA. Ad hanc ſcordium commendat IVNK.

DYSENTERIA. Adverſus hanc propinatur ſcordium DIOSC. conſolida media TOVRN.

INTESTINORVM VLCERA bugula ſanari FVCHS. etc.

HYPOCHONDRII INFLAMMATIO longa, *ὑποχόνδριον χρονίως φλεγμαῖνον*, chamæpity cerato excepta lenitur DIOSC.

LVMBRICI. Iis oppoſuerunt chamædryn NICOL. ALEX. *p. 163.* ſcordium MATTH. BRASSAV. vid., ROLFINC. *de veg. l. I. c. 1. p. 13.* RAI. *hiſt. pl. l. c.*

Digitized by Google

HEPATICIS, datur chamæpitys DIOSC. illinitur PLIN. GALEN. marum MIND. *l. c.*

LIENOSIS, σπληνικοῖς; scilrrho lienis, σπληνὶ ἐσκιῤῥωμένῳ, auxiliari chamædryn, polium, maxime vero teucrium, DIOSC. PLIN.

NEPHRITICIS chamæpityn dari DIOSC. PLIN. MARCELL. EMP. In pituitosa et calculosa nephritide marum quoque laudatur, WED.

DYSVRIA. δυσουροῦσι chamædryn, chamæpityn, scordium poliumque suadent DIOSC. PLIN. GALENVS aliique; bugulam SCHROED. Marum in urinæ difficultate MIND. *l. c.*

HAEMATVRIA. Ad hanc chamædrys poliumque commendatur HERM. et BOECL. nec non chamæpitys IVNK.

CALCVLVS. Contra hunc scordium auxilio esse in gravissimis cruciatibus PLIN. sed hac de re dubitat IVNK. quemadmodum etiam de chamæpityos utilitate. Polium LINN.

ISCHIAS. Lumborum dolorem tollere chamæpityn ex hydromelite vinove potam DIOSC. PLIN. GAL. MARCELL. EMPIR. RHAZE. chamædryn TOVRN. ivam GATINARIA in BRVNFELSII *herb. t. II.*

PODAGRA. Ad hanc scordium valet, ex aceto acri oblitum, aut ex aqua impositum. DIOSC. PLIN. GAL. SCHROED. chamæpitys WELSCH. *hecatost. II. obs. 60.* et præcipue chamædrys, ex aqua infusa epota; conf. VESAL. *rad. chin. p. III.* GMELIN. in *cont. hist. pl. œcon.* b. ERHARDI *tom. VII. p. 340.* et HALL. *hist. helv. I. p 124.* polium montanum cum terebinthina veneta in pilulas redactum, quo in Italia frequenter utuntur *de* HAHN *hist. podagræ Card. Com. a Sinzendorf p. 10.* Chamæpityos tamen utilitatem ETTMVLLERVS scordiique IVNKERVS in dubium vocant.

TESTIVM TVMOR. Hunc scordium dissipat PLIN.

MENSTRVA SVPPRESSA. Ea chamædryn, scordium poliumque movere DIOSC. PLIN. GALEN. NIMIA sistere SCROED. etiam bugulam BOERH. chamæpityn supposita uteros purgare DIOSC. PLIN.

LEV-

Digitized by Google

LEVCORRHOEA. Ad hanc curandam præcipue marum commendatur a WEDELIO; BOERHAVIO; CARTHEVSERO; ab aliis chamædrys, ſcordium, conſolida media.

VBERVM DVRITIES diſcutit chamæpitys. DIOSC. GALEN.

Longius hæc proſequi inſtituti ratio non permittit; quare hic ſubſiſtimus, et id tantum addimus, quod de plantis amaris acribusque in univerſum, et eo magis etiam de noſtris ſtatuendum eſt, quo magis particulis volatilibus efficacioribus ſcatent: magna in earum uſu opus eſſe circumſpectione, ut ne temere ſubjectis ſiccis, calidis, bilioſis, cholericis, plethoricis, ſenſibilioribus, neque in morbis a cauſſa calida, bile nimirum fervida ortis, vel cruore exagitato, rarefacto, ebulliente; nec ubi fibræ ſiccitate, criſpatura et ſtrictura nimia laborent, exhibeantur. Conf. ill. CARTHEVSERI *mat. med. vol. I. p.* 452. 509.

§. XV.

Vſus œconomicus.

Reſtat, ut ajugarum teucriorumque utilitatem in rebus etiam œconomicis, maxime ruſticis, paucis tangamus. Primum floribus apes paſcuntur; quare bugulam utramque indigenam et chamædryn apiariis commendat ill. GLEDITSCHIVS in egregio libro *vom bienenſtande in der Mark Brandenburg p.* 179. *et* 298; et VIRGILIVS *Georg. l. IIII. v.* 112. chamæpityn commendaſſe creditur, ſed immerito; conf. ill. HEYNE *ad h. l.* Deinde etiam, quod de noſtribus ſpeciebus conſtat, et de exoticarum plurimis ſuſpicamur, ovibus caprisque in cibo ſunt, maxime adhuc teneræ. Bugula et ſcordium a bobus eduntur, atque hæc, teſte perill. *a* LINNE', alliaceo ſuo odore lac ſæpe inficit. Conf. EIVS *Fl. Suec. p.* 206. Ab equis tamen, quantum novimus, reſpuuntur. Tum quædam adverſus varios pecorum adfectus, ceu medicamenta, utiliter adhi-

Digitized by Google

bitæ ſunt et adhuc adhibentur, vel ſolæ, vel aliis medicamentis commiſtæ. Ita chamæpityn morbum boum oviumque putridum ſanaſſe, ſcordium equorum morbum verminoſum BRASSAVOLA teſtis eſt in *exem. medic ſimpl. p.* 193. 219. Deinde animalia quædam noxia maro allicere et capere venatores præcipiunt. Feles quidem hujus herbæ eſſe cupidiſſimos, eam, cum odorem eminus ſenſerint, pertinaciter inveſtigare, et, ubi attigerint, evellere, mordere, devorare notiſſima res eſt; quam ob rem hortulani ipſam clathris, e filis ferreis craſſioribus contextis, ſepire ſolent. Facile igitur hac eſca capiuntur. Vulpes autem, martes, putorios, muſtelas eadem decipere velle, anceps eſt conſilium, quod harum ferarum ingenio parum convenire videtur, ſæpeque tentantes fefellit.

Tandem etiam hæ plantæ ad rem tinctoriam non prorſus inutiles videntur. Varia cum variis inſtituimus experimenta, vt, quali fila lanea, goſſypina, linea et ſericea colore inficerent, diſceremus: quæ omnia, et quomodo ſucceſſerint, longum eſſet referre. Dicemus tantum, quid vulgatiores, cum filis iſtis vel ſolæ, vel addito alumine, coctæ, præſtiterint. Obſervavimus nimirum 1. Lanam ovinam tincturam ſemper omnium facillime et promtiſſime admiſiſſe; tum ſericum; ægre lanam goſſypinam, difficillime linum, cujus candor plerumque nullam ſubiit mutationem. 2. Colorem, quem receperunt, in genere fuiſſe flaveſcentem, flavum, gilvum aut badium, ſæpe hinc ad fuſcum declinantem, illinc ad vireſcentem; eumque ſemper ſaturatiorem, ubi fila antea in alumine macerata fuiſſent, vel cum alumine coquerentur. 3. In ſpecie *Chamæpityn* (a) lanæ impertiiſſe colorem ingratum e fuſco cereum; cum alumine elegantem fuſcum, fabarum coffeæ modice toſtarum; (b) ſerico utcumque (demto ſplendore) ſimilem, ſed dilutiorem; (c) goſſypinæ lanugini et (d) lino nullum; cum alumine iſti dilute gilvum ingratum. *Bugulam* (a) dilute badium, cum al. fere cinnamoneum gratum; (b) ſimilem dilutiorem;

Digitized by Google

(c) et (d) fere nullum. *Chamædryn* (a) pallidum, cerambycis carchariæ fere æmulum; c. al. ad badium declinantem; (b) e virescente flavum, c. al. magis luteſcentem; (c) nullum fere, cum alumine elegantiſſime flavum; (d) nullum; c. al. eleganter flaveſcentem. *Scorodoniam* (a) et (b) non inelegantem e viridi flavicantem; cum al. magis decolorem; (c) et (d) nullum. *Scordium* (a) et (b) e viridi ochroleucum, gratum; cum alum. ad luteum paullulum declinantem; (eundem *teucrium byrcanum*, quod etiam, ſi mixtionem ſpectes, ad ſcordium proxime accedere analyſis chemica docet); (c) et (d) fere nullum. *Polium montanum* (a) et (b) e gilvo pallidum, omnium dilutiſſimum; (c) et (d) nullum. Hæc pauca, ni fallimur, ſufficient, ut quatenus plantæ noſtræ unilabiatæ tinctoribus auxilio eſſe poſſint, quodammodo dijudicari queat. Fortaſſe inter reliquas, a nobis intactas, erunt, quæ noſtris præſtantiores dabunt colores; fortaſſe aliquarum colores arte perfici, et, qui minus durabiles videntur, emendari poterunt; quod iis explorandum relinquimus, qui his experimentis continuandis bene de re tinctoria mereri cupiunt.

Digitized by Google

EMENDANDA.

Pag. II. lin. 24. *lege:* *alexiph.* 304.
III. 10. *dele:* occurrente
V. 6. *pro:* *p.* *pone c.* 26. *l. alexiph. v. 56.* 28. *l. theriac. v. 824.*
VI. 2. *poſt:* AIVGA, *adde:* quod nomen etiam apud SCRIBONIVM LARGVM *c. 167.* exſtat.
VIIII. 27. *totam dele.*
XX. 11. *adde:* imberbe;
XXI. 18. *poſt:* utplurimum, *adde:* et incerto
XXIIII. 27. *dele:* rectis
XXXVII. 28. *adde:* rugoſa.
XXXVIII. 18. *cancel.* l. Canad.
XXXXVII. 3. *poſt:* præcedente, *adde:* 47.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMENDANDA.

Pag. II. lin. 24. *lege:* *alexiph.* 304.
III. 10. *dele:* occurrente
V. 6. *pro:* *p. pone c.* 26. *l. alexiph. v. 56.* 28. *l. theriac. v. 824.*
VI. 2. *poſt:* AIVGA, *adde:* quod nomen etiam apud SCRIBONIVM LARGVM *c. 167.* exſtat.
VIIII. 27. *totam dele.*
XX. 11. *adde:* imberbe;
XXI. 18. *poſt:* utplurimum, *adde:* et incerto
XXXIIII. 27. *dele:* rectis
XXXVII. 28. *adde:* rugoſa.
XXXVIII. 18. *can.d.* l. Canad.
XXXXVII. 3. *poſt:* præcedente, *adde:* 47.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMENDANDA.

Pag. II. lin. 24. *lege:* *alexiph.* 304.
III. 10. *dele:* occurrente
V. 6. *pro:* *p. pone c.* 26. *l. alexiph. v. 56.* 28. *l. theriac. v. 824.*
VI. 2. *post:* AIVGA, *adde:* quod nomen etiam apud SCRIBONIVM LARGVM *c. 167.* exſtat.
VIIII. 27. *totam dele.*
XX. 11. *adde:* imberbe;
XXI. 18. *post:* utplurimum, *adde:* et incerto
XXXIIII. 27. *dele:* rectis
XXXVII. 28. *adde:* rugoſa.
XXXVIII. 18. *cum d.* l. Canad.
XXXXVII. 3. *post:* præcedente, *adde:* 47.

Digitized by Google

EMENDANDA.

Pag. II. lin. 24. *lege:* *alexiph.* 304.

III. 10. *dele:* occurrente

V. 6. *pro:* *p.* *pone c.* 26. *l. alexiph. v. 56.* 28. *l. theriac. v. 824.*

VI. 2. *post:* AIVGA, *adde:* quod nomen etiam apud SCRIBONIVM LARGVM *c. 167.* exſtat.

VIIII. 27. *totam dele.*

XX. 11. *adde:* imberbe;

XXI. 18. *post:* utplurimum, *adde:* et incerto

XXXIIII. 27. *dele:* rectis

XXXVII. 28. *adde:* rugoſa.

XXXVIII. 18. *corr.* l. Cunad.

XXXXVII. 3. *post:* præcedente, *adde:* 47.

Digitized by Google